

# De contemptu mortis

Daniël Heinsius

## bron

Daniël Heinsius, *De contemptu mortis*. Elzeviriana, Leiden 1621

Zie voor verantwoording: [https://www.dbnl.org/tekst/hein001cont01\\_01/colofon.php](https://www.dbnl.org/tekst/hein001cont01_01/colofon.php)

Let op: boeken en tijdschriftjaargangen die korter dan 140 jaar geleden verschenen zijn, kunnen auteursrechtelijk beschermd zijn. Welke vormen van gebruik zijn toegestaan voor dit werk of delen ervan, lees je in de [gebruiksvoorwaarden](#).

**Viro Nobilissimo Amplissimo, Iano Rvtgersio, Consiliario & Exlegato Regio.**

*Q*Vi memoria maiorum nostrorum, heroicam poësin, in Italia, penes quam illius laus stetit hactenus, graui opere aliquo ad leges suas reuocarunt, Pontificibus, Caesaribus, ac Regibus, ingenij sui monumenta inscripserunt. Nos, Rutgersi, frater iucundissime, ad domesticum patronum, siue temporum calamitas, siue harum literarum, quae tum inter prima habebantur, vel contemptus vel incuria deduxit. Quorum omnium solatia, in virtute tua & amore optimorum studiorum, habeo. Vt iudicium omittam, ad quod prima huius saeculi ingenia iam prouo-

*carunt. Nam in caeteris, sic viuere incoepimus, vt contra sapientiae fastidia, ab efficacitate illius & praestantia remedium sumamus: ea autem, quae reuera nihil praeter apparatus quendam nudum habent & fortunae strepitum, suo modo metiamur. Quisquis sacras mentis occupationes aestimat vt debet; mihi princeps est. qui beata sapientiae contemnunt studia, non plaris ea facient, si ijs supplicemus: nobis autem, id quod sapiente viro est dignissimum, perierit; magnitudo animi, & contenta sorte sua felicitas. quibus equidem, nec illi, qui largiri posse caetera putantur, maius aliquid aut luculentius à Deo consequuntur aut donare nobis possunt. De reliquis qui eo vsque se abiiciunt, hi ipsi viderint. Hoc, vt spero, nec inuidia negabit, nos, heroicam poësin, iterum ad argumentum suum, hoc est, api-*

*cem humanae ac diuinae sapientiae, transferre hic conatos esse. In quo Orpheus, Linus, ac Musaeus, tota denique illa prima sapientiae familia, aut inuenit eam aut constituit: nisi quod Christiano altius fuit ascendendum.*

*Vale frater iucundissime.*

## [Argumenta]

### Argumentvm Libri I.

PRimus liber continet doctrinam Platoniam, de vita secundum mentem: quae in separatione animae à corpore ac sensibus, & in vera cum Deo conjunctione, consistit. Quod, eodem teste, vnicum Philosophi est munus: vnicum initium mortis. Quae est, animae à corpore solutio, & conjunctio cum summo Bono.

### Argumentvm Libri II.

Secundus liber multis rationibus ac copiose docet, quare mors sit contemnenda. Ac primo, quanta vitae sit calamitas: tum quo pacto animus ad contrariam de morte opinionem & contemptum ejus, praeparandus sit: quae agenda in hanc rem, quae fugienda. Qua occasione, inter caetera, multis argumentis animae probatur immortalitas.

### **Argumentvm Libri III.**

Liber Tertius informat militem; qui praecipue sic nasci debet, sic institui, vt pro patria moriendum sibi aliquando esse intelligat. Talis, quo pacto solidam animo virtutem & contemptum mortis debeat parare, ostenditur.

### **Argumentvm Libri IV.**

Postremus liber docet, Vitam nostram esse in vno Iesu Christo reconditam. Quem antiqui Patres semper sunt intuiti. donec in carnem tandem venit. Idem nobis faciendum esse. Conducere huic rei assiduam illius contemplationem, veram fidem, spem, charitatem, veramque anteactae vitae poenitentiam. Cogitandum quoque de martyribus, qui exemplo suo docuerunt, eundem, mortis terrorem sustulisse, qui hanc sustulit. Cujus natiuitas, vita, mors, triumphus de morte, describitur.

**Votum auctoris pro vita et morte.**

ΜΗΤΕ ΒΙΟΝ ΣΤΥΓΕΟΙΜΙ ΚΑΚΩΝ ΓΕΝΝΗΤΟΡΑ ΠΑΝΤΩΝ,  
ΜΗΤ' ΑΥ ΤΟΝ ΘΑΝΑΤΟΝ ΠΑΣΙΝ ΟΦΕΙΛΟΜΕΝΟΝ.  
ΑΛΛΑ ΤΟΝ ΕΚΤΕΛΕΣΑΙΜΙ, ΤΥΧΗ ΚΑΡΤΙΣΤΑ ΠΑΛΛΙΣΑΣ,  
ΤΟΝΔ' ΑΥ ΠΡΟΣΒΛΕΨΑΣ ΑΝΤΑ ΠΡΟΣΕΡΧΟΜΕΝΟΝ·  
ΑΜΦΟΤΕΡΟΙΣ ΑΤΙΝΑΚΤΟΣ ΕΩΝ ΚΑΙ ΟΜΟΪΟΣ· ΟΥΤΩ  
ΕΙΗ ΜΟΙ ΖΩΕΙΝ, ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ ΑΥ ΘΑΝΕΕΙΝ.

**Dan. Heinsii De contemptu mortis  
Lib. I.**

**Argumentum.**

Primus liber continet doctrinam Platonicam, de vita secundum mentem: quae in separatione animi à corpore ac sensibus, & in vera cum Deo conjunctione, consistit. Quod, eodem teste, vnicum Philosophi est munus: vnicum initium mortis. Quae est, animae à corpore solutio, & conjunctio cum summo Bono. *Caetera e compendio librorum singulorum, quod in fine legitur, petantur.*

*QVid mentem eripiat tenebris, quid pectore letum,  
Seu mors sponte vocat, seu tela adversa minantur,  
Eximat attonitis, animasque asscribat Olympo,  
Sanguine lustratas, terrae pelagique potentis,*



*Et fati, nostrique, canam. Tu virgine natus,  
 Et vitae Rex ipse, faue. tu, maxime, vati  
 Auxilium, tu finis eris. Tibi nostra carina,  
 Sistat inoffensum supremo in littore cursum.  
 Namque tibi Graiorum omnis sapientia seruit,  
 Et Musae quaecunque tibi famulantur, & omnis,  
 Vt semel exorta est tua lux animoque refulsit,  
 Interit extemple, longeque avertitur error.*

*Nec minus & nobis, Rutgersi, in limine primo  
 Advenias, auresque adhibe. seu munera nostra  
 Jam tangis, floresque legunt tibi mille, Camoenae,  
 Vt nuper, variasque legunt cum floribus herbas.  
 Codanum seu jam superas mare. seu tua Mavors  
 Regius, extremum patriae conversus ad axem,  
 Ocia tota tenet, debellatorque trionum,  
 Jam triplici effulgens auro formaque decorus,  
 Districtum, nullaque tibi jam parte vacantem,  
 Possidet, & Moscho sperata e frigore laurus;  
 Quicquid id est, quocunque agitas in littore curam,  
 Heic mecum ignavi paulum obliviscere leti,  
 Et foedum indignumque viris dimitte timorem.*

*Ipse tibi, qua Mosa pater, pulcherrimus errat,  
 Et Lingam Vahalimque uno complectitur amni,  
 Arboribus cinctam, & foecundo gramine, ripam,*

*Dispiciam, vento expertem, Phoeboque furente.  
Heic te Cecropides Musae, & mea maxima cura,  
Magnus Aristocles jam nunc expectat, & aurae  
Jndigenae, viridesque parant occurrere Nymphae,  
Extremo Borea redeunti, & finibus Arcti.*

*Principio pueris (namque hinc exordia prima  
Ducere praecipio) cum sensum intendere mentem  
Coeperit, & vocem moliri infirmior aetas,  
Custodem junge assiduum, vitaeque magistrum,  
Qui vitiorum odia, ac cultum virtutis honestae,  
Et dulcem sensim discendi instillet amorem.  
Illum adeo neque foeda Venus, neque Massicus humor,  
Afflarit resides animos, & inertia corda,  
Ne furtim incautus contagia ducat alumnus,  
Illum autem primis mirari discat ab annis  
Protinus: illius primos ab origine fontes,  
Mente adeat secum, divinaque semina lustret:  
Vt quondam omnipotens genitor, postquam humida regna,  
Et terram, & vigiles coeli suspenderit orbis,  
Vnum inspirarit, totiesque inspiret ab alto,  
In lucem quoties venturus concipit infans*

*Aetherium motum, & iucundae exordia vitae:  
 Omniaque ex ipso iam tum deducat Olympo.  
 Nec de corporibus fluat, & post corpora restet,  
 Non mixtus, non compositus, purissimus in se,  
 Non vndae pars aut flammae, non simplicis aurae,  
 Non terrae. quanquam omniparens, quanquam omnibus altrix,  
 Quanquam tot facies animantium vberrima gignit,  
 Omnibus & dulcem pariter respondet amorem.  
 Quanvis & Cererem, quanvis & munera Bacchi  
 Didit, & arboribus gelidaque exuberat unda:  
 Vt ventura simul transactaque saecula voluat,  
 Et rerum eventus dubios, formasque locosque:  
 Tum mille egregias paulatim excuderit artes  
 Vsibus humanis; cum vita informis & excors,  
 Volueret in solis ignauum montibus aevum.  
 Quod neque flamma potest, nec humus, nec mobilis unda,  
 Nec purus mixtusue aër. nec si quid ab illis  
 Aut partem trahit, aut vireis deducit inerteis.  
 Ergo, non stellarum orbis, non lucidus aether,  
 Nec Lunae albentes radij, aut Titanus orbis,  
 Quanquam igni illustris formoso, & cornibus aureis,  
 Et picturatum toties decurrit Olympum,  
 Quantum animus possunt. nec se illi aut sedula tellus*

*Audeat, aut vasti facies componere ponti.*

*Nec vero immensus quanquam in se vertitur orbis  
Aetheris aurati, terramque amplectitur omnem,  
Quanquam tot populos vrbisque ingentibus vlnis  
Continet, includit meditantem assurgere, supra  
Coelum omne, & proprium naturae accedere fontem,  
Aeternum coeli regem, vitaeque parentem.  
Praecipue, quoties altae penetralia mentis  
Reclisit, quoties in se divertitur ipse,  
Aversatus opum splendorem, & commoda vitae,  
Et quos ambitio mendax suspirat honores.*

*Ille etiam, vitiorum vndas, foedosque tumultus,  
Et tempestates subicit: populoque subacto,  
Praecipiti insano, turbasque inferre parato,  
Ipse sibi imperium & fasces transcribit honestos,  
Purgatam includens intra sua gaudia mentem.*

*Illa autem, excelsa sedem sibi legit in arce,  
Indefessa, vigil: quantoque e corpore tardo,  
Longius exierit, tanto magis ardua fertur,  
Orbem extra, & geminos coeli septemplicis axes.  
Non secus ac quondam tenebris & carcere rupto  
Jmmitis caeae, volucrum regina, repente  
Dat plausum coelo ingentem, nubeisque relictas  
Praeterit, & versis ad Phoebum elabitur alis,*

*Seque auras inter liquidas & nubila condit.*

*Ipsa igitur jungenda sibi est, in seque vocanda,*

*Omnibus a rebus quas circumvoluitur aër,*

*Et quaecunque agitant mortales pectora curae,*

*Aut conjurati collectam abducere sensus,*

*Mente relegandi tota, sensimque domandi.*

*Ne procul evecctam terris, secumque putantem,*

*Aut rerum causas, aut magni semina mundi,*

*Culmine dejiciant tanto, voluantque deorsum*

*Reginam, famulorum instar, quos nulla libido*

*Pulchrorum, nudique animum percussit honesti.*

*Namque vbi tranquilla sese in statione locavit,*

*Atque in se abscessit penitus, seque ipsa recepit;*

*Tum neque mors illam, nec iners Acherontis avari*

*Circumstat formido, atque illaetabilis horrore.*

*Ac neque pauperies, neque vis inimica, nec ullus*

*Fortunae sativae aries, tum moenia pulsat*

*Pectoris indomiti, terrorve advertitur ullus,*

*Cum semel ascendere arcem delubraque mentis*

*Illustres animae, caeloque autore creatae:*

*Nec si terrifico fremitus ruat arduus aether,*

*Sentiat, aut tantae speret superesse ruinae.*

*Hanc adeo vitam, ex vero quae vita vocanda est,*

*Principium leti divino prodidit ore*

*Magnus Aristocles: quia sensim excedere re[b]us,  
 Et nullo insuescit paulatim corpore niti  
 Mens animi, sensusque excelsa avertitur omnes.  
 Hinc quibus affixa est penitus praestantibus ausis,  
 Hanc animi vim nitentis pulchramque quietem,  
 Continuunt leto, dulcique in imagine perstant,  
 Jgnari necis, & vitam inter gaudia fundunt,  
 Terrore haud ullo, haud ullo intercepta dolore.  
 Hanc vitam in terris coelo delapsa canebat  
 Phaenaretae soboles. cui nulla a stirpe relictis  
 lugera ruris erant, nulla usquam armenta per herbam  
 Pascebant, nulli vertebant arva iuveni,  
 Nulla domus, nulli maiorum in limine vultus,  
 Nullus honos, nulla in patriam populumque potestas.  
 At supra fortunam animo processerat omnem,  
 Liber & intrepidus; primaque in origine pulchri  
 Fixus & attonito similis, dulcique furore  
 Suetus humum fugere, & mortales linquere curas:  
 Praecipue, venturum olim praevertere secum,  
 Molirique animo, & paulatim addiscere letum;  
 Mentem abducendo rebus, corpusque premendo  
 Jngenti imperio. dum sensus sub juga victor*

*Mitteret, atque omnem rationis subderet hostem.  
Totam illum perhibent hyberno sidere lucem,  
Et gelidam hyberno medioque sub aëre noctem,  
Duxisse, immemorem juxta vitaeque necisque,  
Et libare dapes, & inertes ducere somnos;  
Dulcibus affixum curis, animoque fruentem.  
Ac neque praecipitem pluviam, coeloque ruentem,  
Nec super excussa crepitantem grandine nimbum,  
Nec Boreae horrorem immitis sensisse nec Austri:  
Vsque adeo cunctos requierat pectore sensus.  
Ipse autem, membris, & inani parte relictâ  
Corporis, ignarusque sui, super ardua tecta  
Caelicolûm errabat, celsoque instabat amori,  
Deuius, & pulchri divino percitus igni.  
Cuius ab obiectu, radios, & pontus & aër  
Concipit, & lato quae pendet in aëre tellus.  
Candenti quales per noctem absistere ferro  
Cernimus, & crebram tenebris aspergere lucem.  
Hinc pulchrae in terris facies, campique virentes,  
Hinc fontes, nemorumque oculis gratissimus horror:  
Hinc pecudes, formasque avium, vitasque natantes,  
Exiles vtcunque sibi deducere partes.  
Haec idem, gelidam formosi ad fluminis undam,  
Sub noto platani hospitio, proiectus in herba,*

*Cantabat, multum verba inter singula mulcens,  
Caesariem Phaedri liquidam, atque argentea colla.  
Hactenus ut foedis populum Pandione natum,  
Jgnibus arceret, mentemque ab imagine pulchra  
Duceret ad fontem. cujus, licet aethere ab alto  
Tot riui in terram, & species, & nomina manant,  
Ipsum haeret, fixumque manet, neque cedit Olympo:  
Et longe attonitam trahit ad spectacula mentem.  
Sic cum purpureus radios per tecta domorum,  
Aut nemore in magno, per opacas arboris umbras,  
Sol jacit. ipse ingens ingenti corpore, nusquam  
Vel coelo egreditur, vel nostro intervenit orbi.  
At laetis ea signa oculis cum luce viator  
Intuitus, surgitque animo, totumque repente  
Cogitat absentem: quantus, cum mane recenti  
Attollens caput Oceani rutilantibus undis  
Fertur in occasum, vel cum sua signa recenset,  
Et magnum coelo ingrediens convertitur annum.  
Idem ubicunque dabat latebram nemus, aut specus atrum,  
Aut late diffusa comis errantibus arbos,  
Omnia diuinis loca vocibus, omnia dulci  
Implebat monitu, & coelestis murmure linguae.  
Qualis pampinea pendens e fronde cicada,*



*Solamen senis agricolae, rurisque voluptas.  
 Curae illi virides rami, totumque per aestum,  
 Rore madens paruo, paruosque amplexa penates,  
 Pura inter laetum deducit gaudia carmen.*

*Haec idem moriens, dulcesque amplexus amicos,  
 Singultus inter medios abitumque canebat;  
 Haud aliter summo digressus limine & aeui  
 Finibus, ac si lento olim confectus amore,  
 Nequicquam lento patriae confectus amore,  
 Post longas hyemes, & taedia mille laborum,  
 Linqueret exilium: paruos tum denique natos  
 Visurus, castamque domum, notumque cubile.  
 Nec secus educens gelidae medicata cicutae  
 Pocula, quam si vere nouo cum pingitur annus,  
 Et lux Cecropidis, Baccho gratissima, vênit,  
 Flore comam multo, & frondenti vinctus anetho,  
 Nectaris in mensa latices libaret, & vltro  
 Rorantem pateram sublato educeret auro.*

*Jllum ergo patriae frustra fleuistis Athenae,  
 Jllum Nymphae omnes, illum Nereides omnes  
 Extinctum fleuêre. illum Tritonia virgo,  
 Actaeos inter colles, desertaque Thesei  
 Littora. nec questu assiduo cessauit Hymettos.  
 Jllius quanquam volucres, quanquam omnia mella*

*Vicisset moriens suppressae flumine linguae.*

*Te furijs, saeuisque odijs moriente tuorum,  
Phaenaretae puer, albentes ter rupit amictus,  
Ter laniata comas, terris discedere visa est  
Infelix Sophie: ter euntem maxima Pallas  
Obuia detinuit. tandemque in pectore magni  
Haesit Aristonidae, gentique insedit iniquae.*

*Hos igitur ductus atque haec exempla premendo,  
Prima quidem pulchro pandetur semita leto,  
Et recta e terris dabitur via; si neque rebus  
Haereat, aut curas in se traducat inertes  
Semotus fixusque animus, neque cedat amori,  
Luminibus qui sponte sua gratissimus vsque  
Insinuat, nareisque aliquo contingit odore,  
Aut tactu mille insidias molitur & ori,  
Aut captas totidem insidijs circumuenit aureis.*

*Quippe hinc, principio non intellecta voluptas  
Nascitur, & lenes intentat pectore motus  
Illa quidem primo, multaue interuenit arte.  
Mox autem, & sceptro patrio, pulchraque tiara  
Exiit, & formas paulatim vertit in omnes  
Palantem, & magnis nequicquam ardoribus actum.  
Exilium quamuis saepe indignatur, & aethram  
Suspicit infelix, & quem dimisit Olympum*

*Fixus humi, multaque inter caligine septus.  
Scilicet ignavos deludunt plurima sensus,  
Perque vias quinque ingenij mentisque ministras,  
Obscurus vitio, morboue illabitur error,  
Aut spatio. Nam sponte sua concurrere menti,  
Vt magno inter se deuincti foedere reges,  
Festinant oculi: nec mens auersa tuetur,  
Imperio postquam est dejecta, & culmine veri,  
Fallentes: gaudetque adeo, deceptaque turbam  
Decipit, & densam diffundit plurima noctem  
In populos, nullamque fidem non inuenit usquam.  
Nonne vides, ut saepe alios mentita colores  
Aëra per liquidum formosa expanditur Iris,  
Sole sub aduerso, radijsque obliqua refulget?  
Hoc sine nil magnum fieri & memorabile jactant  
Attoniti vates, oculisque autoribus usi,  
Paulatim blandis suadentes omnia dictis.  
Nam modo praecipitem coelo Saturnia mittit,  
Audacem ad Turnum: nunc toruum affatur Achillem,  
Inspiratque animos, & saeuas sufficit iras.  
Illa quidem nusquam est. quippe igni illustris & auro,  
Fulgentes radios, multoque ardore trementes,*

*Nubibus impingens medijs Phoebeius orbis,  
Decipit incautos aduerso lumine visus.  
Sic oculis pulchrum mirati currere Solem,  
E terris, dixere Deum: Lunamque per aras,  
Supplicibus votis, & salso farre piarunt.  
Nec visu tamen ulla magis cui credere possis,  
Discendi ratio est: cum saepe & lumina fallant,  
Seu facie decepta loci, sive aëris ictu,  
Et magis incertos frustrentur caetera sensus.  
Hinc amor, hinc pestes animorum: hinc credula semper  
Spes, hinc relligio fallax, vanusque Deorum  
Error, agens nubem immensam, populosque per omnes  
Europae, lapsusque Asiae, qua maxima Roma,  
Victrices Aquilas emenso praetulit orbi.  
Hinc metus ille acer, primoque in limine leti  
Haud raro exhaustis incumbens viribus horror.  
Quem ni docta parens, arcani conscia veri,  
Dum molles animi, dum sponte inflectitur aetas,  
Evertat ratio, mox ipsa invita recedit,  
Et victo haud laetos auertit pectore vultus.  
Nil igitur credendum oculis. mens sola tuetur,  
Nec fallit: mens sola audit, neque decipit unquam.*

Quin etiam pulchro conatu auertit, & vsu  
 Vitali, aeterno libatam numine mentem,  
 Quicquid agit sensus, sensuque illabatur acto.  
 Nonne vides, quoties nox circumfunditur atra  
 Immensi terga Oceani, terramque polumque,  
 Cum rerum obduxit species obrubilis aër,  
 Nec fragor impulsas aut vox allabatur aures,  
 Vt nullo intuitu mens jam defixa, recedit  
 In sese, & vires intra se colligit omnes?  
 Vt magno hospitio potitur, seque excipit ipsa  
 Totam intus: ceu jussa Deûm discumbere mensis.  
 Nam neque sic illam solido de marmore tecta,  
 Nec cum porticibus capiunt laquearia centum  
 Aurea, tot distincta locis, tot regibus apta,  
 Quaesitaeque epulae, Tyrioque instructus ab ostro,  
 Vt gaudet sibi juncta, sibique intenditur ipsa,  
 Ipsa sibi tota incumbens, totamque pererrans,  
 Immensa, immensam spatio, longeque patentem.  
 Seu dulces inter latebras Heliconis amoeni,  
 Et nunquam arentem nemorum diuertitur vmbram,  
 Foecundum pleno exercens sub pectore numen:  
 Seu magno forte in populo dicturus, inerteis  
 Explorat voces, & verba decentia pectit,  
 Cuncta animo saepe explorans, cuncta ante pererrans,

*Quam linguae temere officio committit, & oris.  
 Seu causas rerum occultas & semina voluit,  
 Et queis foederibus conspirat maximus aether,  
 Neptunusque pater, tellusque, atque omnia gignant:  
 Siccaque concurrant liquidis, frigentibus ignea,  
 Quae nunquam passa interitum voluuntur eodem  
 Ex alijs: eademque manent, mutataque surgunt.  
 Siue altum virtutis iter subducit, & almas  
 Molitur leges, queis fortunata iuventus  
 Pareat, ac pace imperium tutetur & armis.*

*Nam neque tum primi comites surgentis Eoi,  
 Sub ramis volucres incendunt aëra cantu,  
 Latratusue canum, fremitusue auditur equorum.  
 Quippe tacet nemus omne: tacent vrbesque feraeque.  
 Sed neque tum pictis gemmantes floribus horti,  
 Nec liquidi fontes, nec saxa virentia musco,  
 Nec coeli apparent aulaea, & splendidus ordo  
 Astrorum, volucresque vagae, faciesque ferarum,  
 Nec magno Oceani diffusum gurgite corpus:  
 Caeteraque inter se innumeris distantia formis.*

*Namque & humus spatiosa, suos induta colores,  
 Quos Phaëtonthis equi illustrant caligine pulsa,  
 Cum lucem infundunt rebus, jam nocte peracta,  
 Circum oculis mille illecebris, & mille figuris,*

*Blanditur, passimque aciem traducit ouantem:  
 Multaque per noctem, quoties Latonia vultum  
 Exerit, & totum subduxit nubibus orbem,  
 Objicit attonitis, incorruptissimus aether,  
 Lumina quae rapiunt oculorum, ea concita porro  
 Illiciunt mentem: ne qua consistere possit,  
 Et vitae assiduum nectunt mortalis amorem.*

*At neque virtutem, neque si quid corpore toto  
 Pulchrius est, oculorum acie lustramus: vt artes,  
 Quaeque tenet primas vitae Sapientia; coeli  
 Inconcussum, ingens, & non mutabile donum:  
 Nec pulchrum, pulchrique apicem, cui nascimur omnes.*

*Adde quod in sese rapitur mens sola, Deumque  
 Fertur in autorem, sursumque attolitur ultro,  
 Quanquam aliena loco, proprijsque ex sedibus acta:  
 Vt grauis incerto si sidat in aëre tellus,  
 Aut leuis incumbat terrae penetralibus ignis.  
 Huc autem, in sese reuocata, a corpore toto,  
 Omnibus & rebus, tandem vt seclusa feratur,  
 Proximus huic labor, & vincendi ianua leti est.*

*Nonne vides, vt terra sibi festinat & aër  
 Coniungi, flammaeque leues, & mobilis humor?  
 Non aliter primae mens nostra accedere menti*

*Ardet, & ex ipsa rapitur caligine sursum,  
 Vulcano assimilis: subito seu forte coortus  
 Urbibus in medijs, siue illum incautus arator  
 Sparsit, & vndanti nequicquam occurrit, in altum  
 Sponte sua rapitur, nubesque & sidera lambit.*

*Iam quoque sponte sua, flammaeque assurgeret instar,  
 Intendentis iter sursum, flammamque petentis,  
 Ni gelida & coelo premeret contraria moles.  
 Quae prius heic subigenda diu, multumque domanda est,  
 Non rastris, durisue ligonibus, aut boue iuncto  
 Multum inuertendo. Sed enim vi mentis & vsu  
 Expugnanda prius tardae contagia matris,  
 Et luxus elementa, modis haerentia miris.  
 Nec magis agricolam suadebo intendere messi,  
 Ne sterilis vires impune assumat auena,  
 Aut infelices dominantur frugibus herbae:  
 Quam male foecundas vitiorum incidere fibras  
 Pectore, quam totas errorum exurere sylvas,  
 Si quem cura manet divinae incumbere menti.  
 Vt domita tandem tellure, exurgat in altum  
 Ignis, & occultae purgentur semina flammae:  
 Nec depressa solo maneant, cum postulat vsus,*



*Lustratas animas aeternis jungere rebus.*

*Nec tibi sit victus ratio postrema, sed acres  
 Desidiae stimulos modicis auertere mensis,  
 Et quas Naturae sponte indulgentia donat.  
 Si non appositas incuruant pondere lances  
 Viscera tosta boum, volucremque incognita mittit  
 Phasis, & extremo quae pascit in aequore Nereus.  
 At virides adsunt herbae, telluris alumnae,  
 Lactucae, maluaeque leues, coenaeque Deorum,  
 Innocuae caules, lapathumque, acceptaque ventri  
 Intuba, nec crassum mox inductura soporem,  
 Et quae Palladia carpuntur ab arbore dona;  
 Vuaeque pampinea paulatim educta sub vmbra,  
 Seu noua, seu veteres expressa est arida succos,  
 Aut malum irriguum, aut prunorum cereus ordo.  
 At Cererem non celat humus, nec deficit vnquam,  
 Exiguus, natusque sitim restinguere riuus.  
 Has epulas mensasque olim posuere Cleanthes,  
 Carneadesque pater. Spectabant sidera magnos  
 Artifices veri, deserta in valle sedentes,  
 Et totus dabat aspectum coenantibus aether.  
 Obducunt animum distentae sanguine vires,  
 Ne coelo attollat faciem, sed mollis, & excors,  
 In Venerem ruat, & foedos suspiret amores:*

*Nec magnum leti contemptum in pectore versat  
Vuidus assidue, multoque oppressus Jaccho:  
Oblimatque aciem versae ad sublimia mentis.*

*Contra autem, quoties in se tenuissima fertur,  
De rebus quanquam exiguis, ceu numine tacta,  
Jam felix, jam plena sui, defixa moratur.  
Votorum vt penitus, penitusque oblita laborum,  
Non nocti, non Phoebe tibi, discedere victa  
Gestiat, aut alias meditetur voluere curas.*

*At magis, immotae quoties jam dedita formae  
Haeret, & aeternae; mundi praevecta quod vsquam est,  
Et rerum quasunque tenet vastissima moles.  
Quae licet immensos aperit qua cernitur artus,  
Vndique, tot membra ostentat, quot terra polusque  
Explicat ante oculos; tamen, & compagibus ijsdem,  
Jisdem principijs, atque ortu surgit eodem.*

*At supra, rerum genitor sedet, omnibus expers  
Seminibus, menti occurrens, supraque locatam,  
Sublimem hunc aequo suspensum examine circum,  
Ultima quam proni definit linea mundi,  
Supra materiem leti, supra omne, quod vsquam  
Carpitur, & primum vitales exit in auras,*

*Natali luce involuens. ea prima voluptas,  
 Hoc vitae auspiciū venturae fata dederunt,  
 Hoc pignus pater omnipotens, hoc denique leti  
 Dulce rudimentum: mens vt lustrata, suique  
 Assueta imperio, naturae iuncta quiescat  
 Aeternae fixaeque, Deumque intelligat vna;  
 Iam pulchri patiens, quantum fas corpore iunctam,  
 Ignauosque habitantem artus, terrenaque membra.*

*Illum autem, nostris iterum seiungere rebus  
 Conuenit. Haec via prima datur, qua discere numen  
 Incipiunt animi, primaeque occurre menti.  
 Vt si corporeum, & nigrae concedere morti,  
 Aut genitum factumue neget, quae singula nobis  
 Conueniunt, nescitque Deus. Sic surgere primum  
 Aude hospes, limenque aperi flammantis Olympi.*

*Quin etiam, immensus veluti atque illustris amictus,  
 Quem mille artifices vultus ac mille figurae  
 Vndique circumeunt, & lato circulus auro,  
 Deducenda tibi, tellusque, & pontus, & aethra,  
 Corpora nunc oculis quaqua obuersantia nostris;  
 Vt magnum inuenias ac non mutabile numen.*

*Huc vbi peruenit nostrarum maxima rerum,  
 Crescit, & vltius, seu per vestigia, tendit:  
 Iamque illi omnipotens, posito velamine, circum*

*Apparet. videt aeternum, immensumque tuetur:  
 Oceanum vitae ingentem formasque caducas  
 Eluctata, vagas semper, semperque natantes:  
 Vt cum Carpathio, aut Ionio in magno,  
 Voluitur, & ventis & fluctibus obuia pinus.  
 Atque ea ne certo nequeas deprendere, neu te  
 Tristis, & infelix, nequicquam exerceat error,  
 Vtque animo penetrare acri magis ardua possis,  
 Ipse Deus toto manifestus numine terras  
 Intrauit; pulchri effigies totius, & omnes  
 Detulit ignaris aditusque expressit Olympi.  
 Hinc trinum, non nota prius, miramur in vno,  
 Et semper geniti damnatam sanguine mortem.*

*Quippe adeo pater omnipotens, lex vltima rerum,  
 Deflectens in se assiduo, seque ipse volutans  
 Purum intus, letique omni contagio remotum,  
 Concepit, fuditque suo de numine numen,  
 Mens totus, mentemque suam, totumque quod ipse est.  
 Cujus in amplexu, dum se, pariterque quod vsquam est,  
 Aspicit, & nati foecundum exercet amorem,  
 Omnia produxit, vastumque effinxit in orbem,  
 Sublimesque animas ignauos fudit in artus.  
 Hinc lucem dulcemque diem libamus, & auras*

*Ducimus aetherias, magnaëque exordia vitae,  
 Cuius in excelsa defixit semina mente.  
 Quae, velut attritu silicum, cum flamma repente  
 Dissilit, ingentes, in se decurrere iussa,  
 Concipit & radios, & magnos concipit ignes.  
 Quos fam[a]e in gremio positos, Dea laeta per auras  
 Abripit in populos, serosque amplexa per annos  
 Posteritas tenet, & leti secunda vetustas.*

*Nam sacer aeternusque, nihil contingere maius  
 In terris animus, coelo demissus ab alto,  
 Se potuit. non si pulchro se inuoluere Phoëbo  
 Tendat, & astrorum medijs immittere formis.  
 Nec natum Clymene, summo licet aequore coeli  
 Flecteret alipedes, patriosque accenderet ignes,  
 Altius excessisse homines terramque putandum est,  
 Quam cum seposito diuersae a corpore mentes,  
 Admisere Deum. quam cum, formosus Aristo  
 Quem genuit, iam magna canens, nec cognita vulgo,  
 Aspicit alato genitorem incedere curru,  
 Coelicolum: quem tota acies comitata Deorum,  
 Viginti circum ordinibus diducta, cohortem  
 Explicat, & magnos in se conuertitur orbis.*

*Hoc opus, illustres animae, dum corpore clausae  
 Degitis, exercete. hoc iam considite portu:*

*Huc versam pelago e medio subducite puppim:  
 Heic supra populorum vndas, & inertia vota,  
 Et regum solia, & dominorum assuescite sceptrā,  
 Jre viam, terrae ignotam, & mortalibus aegris.*

*Primus ego, magna ingrediens sacraria vates,  
 Arboribus clausa, & circum obnubentibus vmbris,  
 Aoniam qua nulla notant vestigia rupem,  
 Instituam lustrare animos rationis egentes,  
 Et secum exortam coelo secedere mentem,  
 Praecipiam, licet in media tellure vagantem.  
 Atque heic depictae facies in limine primo  
 Astabunt, fractis immanes cornibus amnes,  
 Cocytus, tristisque ardor Phlegetonthis auari,  
 Et Leti tremor, & nigri vis pallida Leti.  
 Tum pulchri quaecunque animos sub nomine ducunt  
 Intexam, dum vita manet, dum corpus inane  
 Voluimus, & primo ignari deflectimus ortu;  
 Clari ingens operis, vixque enarrabile textum.*

*Principio, quicumque poli venere sub auras;  
 Sponte sua, siue hoc ratio dedit inclyta; pulchri  
 Sublustres radios, mortali in corpore versant,  
 Vestigantque alte, & magno rimantur amore.*

*Namque alij (lato suspensam hanc aspice coelo  
 Congeriem) verrunt abiignis marmora palmis,*

*Aut freta decurrunt gelidis exercita nimbis,  
Et versas alio convectant littore merces.  
Effodère alij venas & viscera matris,  
Ditem vsque, atque Acheronta atrum, noctisque recessus.  
Tantus amore terrae, tantumque ab origine primae  
Deficiunt. Mauortem alij letumque laccessunt,  
Vt patriae ingentem referant cum laude triumphum.  
Atque hos, magnanimi fasces, & eburneus axis,  
Ereptos populo, trahit ad fastigia rerum.  
Educunt natos alij, paruosque nepotes,  
Venturam generi seriem, & solatia leto.  
Occupat interea non obseruata senectus  
Errantes animas, versasque ad caetera mentes,  
Nec pulchri memores, nec soli incumbere vero.  
Mors autem, longe absentes, longeque vagantes,  
Interea dum vota calent, dum ducitur aetas,  
Anteuenit. Qualis celsa sub rupe columbam,  
Illa quidem natos dulcesque reuisere nidos  
Deproperat, gratamue suis circumspicit escam,  
Venator subito accipiter deprendit, & atris  
Vnguibus impedijt, spesque interceptit inanes.  
Illa autem, securus prius, neque conscia leti,  
Vitam interceptam media sub nube relinquit.*

*Haud aliter mors saepe manum volentibus ardua  
Inijcit in medio, primaque in sede reponit  
Errantem, & caeco luctantem in carcere mentem.  
Cuius opus, non argenti fulgentis, & auri  
Caelati infectique ardor: non gloria Martis  
Didita per populos, nec ebur fascesque superbi,  
Quae nunc attonitis accendunt pectora curis.  
At vero, immotos in se conuertere vultus  
Lustratae puraeque animae: quam grandia semper  
Gaudia circumstant, & non aliena voluptas.  
Quo neque degeneres fluxaeque e corpore curae,  
Nec leti imperium moestusque admittitur horror.  
Quippe & principium viuendi, & terminus, heic est:  
Vnde & sidereae coelestia semina mentes  
Deducunt, tenduntque iterum, cum mole subatra  
Corporis, e tenebris veluti, aut e luce maligna,  
Ingentes oculos intendunt lumine toto.  
Exutaeque, nihil maius, nihil amplius vsquam  
Inueniunt, neque iam vltius contendere possunt.  
Vt cum flumina vasta, diuque exercita cursu,  
Seu pater Euphrates, seu longe exortus Hydaspes,  
Oceanum inuenere, manent. neque labitur vltra,  
Nusquam circumscripta suis jam finibus vnda.  
Haud secus illa, diu facies iactata per omnes,*



*Sistitur heic tandem, factoque heic fine residet,  
Aeternum mansura polo terrisque superstes.*

*Namque illud, quacunq̄ue patet pulcherrimus aethra  
Flammifera polus, incumbens pelagoque soloque,  
Ardebit, mente incolumi, mentisque paronte.*

*Scilicet & rerum nunc foecundissima tellus,  
Vna parenes frugumque eadem, pecudumque virûmque,  
Stabit, anhela, tremens, squallenti torrida vultu,  
Flammarumque globos liquefacta ad sidera mittet,  
Cum gemitu fluuiorum, atque indignantibus vndis.*

*At super horrendo mugitu maximus aether  
Concutiet trepidantem; abruptis vndique nimbis  
Fulmina praecipitans, tempestatesque coruscas,  
Et late ambusti voluent incendia montes:  
Vastus Athos, multaque coma conspectior Haemus,  
Gargaraque, & Rhodope, Tmolusque, & Pindus, & Oeta,  
Emathiusque Erymanthus, & imbrifer Apenninus.  
Ipse pater densam prouolens pectore noctem,  
Immanesque humeros glacie liquefactus & ora,  
Excutiet lapsis axem ceruicibus Atlas.  
Pondere quo polus omnis humo ruet, & ruet omnis  
Tellurem sparsis inuolens ignibus aether.*

*Aurea nec coeli euadent simulachra, nec ipse  
Oceanus genitor, spumoso turbidus alueo,  
Gurgite qui rauco solidum circumtonat orbem.*

*Quare agite, & mentem peritura euoluite mole,  
Aeternosque animos certis affigite rebus.*

*Hoc opus, obscuro digressus corpore & vmbris,  
Spiritus, & caeca membrorum lege solutus,  
Persequitur, totusque in se diffunditur ipse.  
Et letum, non exigua jam parte peractum,  
Excipit, atque animum poscenti reddit Olympo.*

**Dan. Heinsii De contemptu mortis  
Lib. II.**

**Argumentum.**

Secundus liber multis rationibus ac copiose docet, quare mors fit contemnenda. Ac primo, quanta vitae sit calamitas: tum quo pacto animus ad contrariam de morte opinionem, & contemptum ejus, praeparandus sit. Quae agenda in hanc rem, quae fugienda. Qua occasione inter caetera, multis argumentis animae probatur immortalitas.

*HActenus affixam tenebris, vitamque per omnem  
Sensibus obsessam, coeli ad primordia mentem  
Duximus, & patriae errantem donauimus, ante  
Funere quam summo mortales exuat artus.  
Nunc munire animum vera ratione docebo*

*Ante obitum. da, nate Deo, dum pectore maior  
Spiritus exoritur, felixque illabitur ardor,  
Hactenus ignotum populo decurrere campum.*

*Regum ordimur opus, terrorem attollere supra  
Fatorum, letique auidi semperque minantis,  
Palanteis animos. quo nec suprema potestas  
Sponte sua vexit trepidos; nec purpura, nec quae  
Signa per euictas attollunt plurima gentes.*

*Hoc circum, quodcunque poli fulgentia tecta,  
Et late extremis describit finibus aether,  
(Vt vero semota procul sententia dictat)  
Fortunae domus est. Quam magni rector Olympi,  
Mutantem summis ima, & sine more ruentem,  
Dirigit, ac pressis ex alto adducit habenis,  
Providus: ipse autor rerum ac suprema potestas.  
At quantum penetrare homini ratione negatum est,  
Euentusque animo, & caecas distinguere causas,  
Fortunam miseri dixerunt. Hanc tristis Egestas,  
Et Labor, & miseranda Fames, & mille dolores,  
Et totae morborum acies comitantur euntem.*

*Ergo vbi curarum in medio saeuissima mater  
Deposuit Natura hominem, coelestibus ortum  
Seminibus, vitae impatiens in limine primo,  
Personat ingratas querulis vagitibus auras,*

*Et nasci inuitus, superos testatur & astra.  
 Quoque magis flammae liquidos sub pectore motus  
 Hausit, & aeterni radios libavit Olympi,  
 Hoc magis ignavi detrectat corporis artus,  
 Vt male conueniens animo atque ignobile pondus.  
 At quibus egelidus circum praecordia sanguis  
 Torpet, hebetque animi moribundo in corpore vires,  
 His neque libertas studio, neque meta laborum est.  
 Quin magis atque magis portu tremuere sub ipso:  
 Admoniti quanuis Fortunae crebra minantis  
 Fluctibus, & saeuas experti numinis iras.  
 Vsque adeo totis insedit sensibus error.*

*Quocirca, trepidae meditari incommoda vitae,  
 Suadebo, ancipitesque vias tristeisque dolores,  
 Funditus ex imo pauor ut se pectore migret:  
 Illius inque locum subeat tranquilla voluptas,  
 Et vitae despectus, & alta incuria leti:  
 Queis sine nec dulces fas est deducere luces,  
 Nec coelo, oblitam terrarum, attollere mentem.*

*Ac neque monstrandi labor impendendus inanis,  
 Quae sua quemque premat sors, aut inuisa sequatur.  
 Ante oculos namque innumeris volitantia formis  
 Objecere Dei damna, ingratosque labores,  
 Funeraque, ignaris mortalibus, impius ex quo*

*Japetionides aeternum sustulit ignem,  
 Et nondum genitas damnauit munere genteis.  
 Siue, vt prisca canunt maiorum oracula vatum,  
 Et melius chartis diuini prodita Mosei,  
 Postquam interdicta libauit ab arbore fructus,  
 Telluris soboles, & nostri sanguinis autor.  
 Hinc fera diluuias seriesque immensa malorum  
 Protinus incubuit generi: comitesque dolores  
 Et maiorum agitant contagia foeda nepotes.  
 Cuncta autem, neque qui numeros rimatus arenae est,  
 Delius, & veteres populorum oracula Delphi,  
 Nec Dodonae referant ex ordine quercus.*

*At libertatem, coeli super ardua tecta  
 Aetherius posuit genitor: quo pergere magnae  
 Festinant animae, moestisque excedere rebus  
 Corpore deposito, totamque intendere mentem.*

*In primis, ne quae fati venientis imago  
 Occurat trepidanti, interque, errore recepto,  
 Nequicquam capiat securae gaudia vitae;  
 Virtutem excelsam induitor, quae pectore toto  
 Contemptum insinuet rerum, vitaeque, necisque,  
 Ardenteisque intus stimulos accendat honoris.  
 Quam tibi, vel vitae ratio regina tuendae,  
 Et leti sola imperio sapientia maior,*

*Vel veterum repetita dabunt exempla virorum:  
 Seu Phoebo, seu quis Mauorte inuictus & armis,  
 Pertulit instantem sublimi pectore mortem:  
 At seruare alios longeque arcere decebit,  
 Quos pauor ille agitat, sensusque obsedit inertes.  
 Nec tam contagem horrerim, aut quae crimine coeli  
 Ducitur, & totam paulatim pascitur vrbem,  
 Orta lues. fuge singultus lamentaque, pubes,  
 Et moestos gemitus, saevasque in pectora palmas,  
 Et quaecunque adhibent natorum in funere matres.*

*At non sic Scythiae populi, & quos Thracia nutrit,  
 Thracia frigoribus damnata, & tristibus auris;  
 Namque vbi quisque videt coeli spirabile lumen,  
 Et primum admissus sub lucem vagijt infans,  
 Exululant cuncti pariter, gemituque sequuntur,  
 Et mistum lachrymis plangorem ad sydera tollunt.  
 Scilicet errorum memores, memoresque malorum,  
 Et quibus infelix sub curis ducitur aetas.  
 Contra autem, laeto venientem murmure mortem  
 Excipiunt, faustosque vocant, quos optima rerum  
 Eripit è tenebris, tutaque in sede reponit.*

*Sed neque facundos suadebo accedere vates,  
 Plurima dictantes, teneris quae mentibus hausta,  
 Terrorem leti ingeminant, & imagine multa*

*Circumerrant animum: ne coelo attollere pectus  
 Discat, & infractos gelida formidine sensus.  
 Siue ater Phlegethon mista caligine & igni,  
 Vndantem exhalat nebulam: siue vndique, caeco  
 Pallenteis nouies Styx ambit gurgite manes:  
 Seu cum Tisiphone tortos implexa colubros  
 Jntonat, & tristes intendit sontibus iras.  
 Seu Curae in foribus stabulant, Luctusque, Dolorque,  
 Scyllaeque, Harpyiaeque, ardentiaque ora Chimaerae.  
 Seu Priami magnusque Asiae populator Achilles,  
 Deiectis nequicquam oculis, Acheronte sub imo,  
 Multa gemit, lucisque animum dulcedine pascit.  
 Demens! quem nec seruitij pudet aethere in alto,  
 Vt dulces redeat post fata in luminis oras.  
 Hos illi Troiae proceres, hos maximus Hector,  
 Optarent animos, cum Xanthus caedibus atris  
 Heroum traheret spumantem turbidus amnem:  
 Aut cum Priamiden perfossum vulnere multo,  
 Traiectumque pedes ambo, ter moenia circum  
 Volueret, & Phrygio gemeret sub pondere tellus.  
 Dij vocem, Dij custodes virtutis auitae,  
 Tollite de medio. nec sit mihi discere tanti,  
 Sub gelida quaecunque latent tellure reposita:  
 Tota licet longas meditetur Graecia laudes,*



*Fortunatorum nemorum, similesque recessus  
Roma antiqua canit. quos puro candidus amni  
Irrigat Eridanus, praeterque innoxia rura  
Labitur, & nunquam morientes educat herbas.*

*Nec minus, imbelles animas, quibus igne medullas,  
Mobilis Aeneadam genitrix, Cythereia fixit,  
Vitare admoneam: dum leni carmine fingunt  
Molle genus, sexumque colunt rationis egentem,  
Et cui rara viam coelo constanta fecit.  
Virtutem quippe excutiunt, neruosque rigentes  
Pectoris, illecebrae, mentique exosa voluptas.*

*Quin potius, doctis Academi insistere syluis  
Expediet, dulcesque senis demittere in aures  
Cecropij monitus, & dicta vndantia melle.*

*Est quoque culta viris antiqui porticus aevi,  
Munimentum ingens, & duro robore fultum,  
Tempestatem animi contra, letique pauorem:  
Quo non vlla magis trepidos sententia firmat,  
Nulla magis duros adigit perferre labores,  
Et fati immodicas elidit pondere vires.  
Prima, vt fama tenet, posuit fundamina quondam  
Amphitryoniades, iussis agitatus iniquis  
Rege sub Eurystheo: postquam Styga reppulit atram  
Victor, & emeritus laudum, tulit aurea mala,*

*Magnorum postrema operum. quem pone secutus,  
Impiger, & multi patiens sudoris Vlysses;  
Mox alij atque alij: gens nulli peruia sorti,  
Casibus aut dubijs, ipsique imperuia leto.  
Nil deforme viris, nisi quod pulcherrima virtus  
Nescit, & intactum vitio damnauit honestum.  
Nec metuendum vltra. non si ruat aethere toto  
Iupiter, & rupto subsidant omnia coelo.  
Caetera Naturae imperium, ceu sidera mundum  
Lapsa per immensum, communi lege sequuntur:  
Nec secus excessere orbi lucemque relinquunt,  
Quam cum purpureum Lunae premit orbita solem,  
Aut Lunae exclusit radios Cybeleia mater.  
Aut motus cum terrificos haustusque locorum  
Accipit, obsequiturque eadem justissima tellus;  
Fatorum comites, & mundi ingentis imago.  
Hi neque Naturae fieri ratione docebunt  
Terrorem leti egelidum. quia quicquid ab illa est,  
Aeternum immotumque manet, neque tollitur arte,  
Aut vsu assiduo. nec enim non vsset ignis,  
Aut sursum ferri assuerit densissima moles.  
Ille autem, neque cunctorum praecordia juxta  
Sollicitat, sensimque ingens dediscitur horror.  
Hos sectare igitur, curamque interlice leti.*

*Nec forte obfuerit versantem extrema Catonem  
 Obiecissee oculis, dum saeui in limine fati,  
 Fortunam increpitat, libertatique jacenti  
 Immolat inconcussum animum, pectusque resoluit,  
 Et quaecunque tulit gentis documenta seuerae,  
 Zenonis prolapsa domus magnique Cleanth[ae].  
 Ni rigor exsuperans atque inclementia multos  
 Arceat, ingenuos Naturae excindere motus  
 Aggressa audaci studio, duroque labore:  
 Et magis inuitet facilis sapientia mentes:  
 Nec nisi sponte Dei praescriptam abrumpere lucem,  
 Actaeus sub morte canens oracula vates,  
 Censeat, & patri soboles aequaeva Tonanti;  
 Vna salus nostro generi, & vitalis origo.  
 Quin potius, magnum Othryaden, Thebisque profectum  
 Ductorem intuior: clypei qui tegmine saluo  
 Exultantem animam medijs immiscuit astris.  
 Romanos autem ante alios, interrita bello  
 Pectora: tum quoties trepidae in discrimine palmae  
 Fata manus, patriaeque anceps fortuna poposcit,  
 Et blandae vetuit libertas parcere vitae,  
 Deuicta toties referentes morte trophaea.  
 Contemplator item spatium seriemque vetusti*

*Temporis, ac metire animo quodcunque peractum est;  
Aspicias raptis alios succedere: porro  
Ex illis aliam atque aliam succrescere prolem.*

*Non aliter, quoties elato gurgite Rhenus,  
Siue imbri insolito, seu tempestatibus auctus,  
Innumerum post se veniens rapit agmen aquarum.  
Vnda vndam trahit: illa nouam super attrahit vndam.  
Six atavis proavisque, superuenere parentes,  
Et longe post nos venturum ducitur agmen.*

*Praeterea, si rite animo subieceris ante,  
Illorum quos quemque suo tulit ordine letum,  
Virtutem, mentemque altam, praeclaraque facta:  
Lumina tot perijisse virûm, tam certa videbis  
Pectora, sanguinei tot fulmina tantaque belli:  
Aenean Anchisiaden, superisque minantem  
Ardentem Aeaciden, & vim Telamone creati,  
Immanes septem voluentem in proelia tauros.  
Adde tot egregias animas, Heliconis alumnas:  
Moeonidae decus aeterni, magnumque Maronem,  
Et Coum Samiumque senem, superisque secundae  
Mentis Aristoclen: diuino cujus ab ore  
Dulcius aërio manauit nectare sermo:  
Quanquam illum & coelo, & longis maioribus ortum*

*Neptuni de stirpe, tenet mirata vetustas.  
 Adde animas, adde heroas quos vidimus ipsi;  
 Juliaden magnum inprimis: qui mente sub vna  
 Omnia complexus, perque omnia saecula vectus.  
 Gentibus eripuit lumen, coeloque dicavit.  
 Ergo tot populi attoniti didicere, tot vrbes,  
 Egressum terris: & sensit turbidus aether,  
 Nec soli radios expressit pallida Phoebe.  
 Ante & magnanimo nil quicquam Caesare maius  
 Tempora per fastosque suos distincta vetustas  
 Produxit: quem summa dies tamen addidit vmbris;  
 Et nunc vndoso praelabatur amne Garumna.*

*Quin etiam cecidisse altas cum molibus vrbes  
 Aspicias, simul effusam per saecula retro  
 Incipies, totumque aeuum dimittere mentem.  
 Ipse vides: jacet ante oculos, orbique ruinam,  
 Et sparsam tota ostendit per moenia mortem  
 Roma parens: quanquam spolijs immanibus alto,  
 Et tot culminibus quondam se inferret Olympo.*

*Parua loquor: nec digna satis vertigine tanta:  
 Saepe etiam virides paruo post tempore campos,  
 Vidimus e medio Neptuni assurgere regno.  
 Et mare nunc medium est, vbi veris tempore primi  
 Securos memini duxisse in gramine somnos.*

*Praecipue, tecum ipse puta, quot moestus amicos  
Extuleris. quoties lachrymas excusserit ingens  
Moeror, & infelix alieno in funere luctus:  
Et quantus comitum paulatim excesserit ordo.  
Nec non & proprias cuiusque introspecte laudes,  
Et percense animo, & veluti praesentia volue;  
Hunc laetum, hunc niueis conspectum moribus: illum  
Eloquio, & captos mulcentem carmine sensus.  
Hunc indivulsae conjunctum foedere vitae,  
Omniaque expertum quondam: perque aspera tecum,  
Et casus dubios vitae, & discrimina raptum.  
Iam grati soles, exactaque tempora noctis  
Mille modis, parcusque latex rorantis lacchi,  
Sermoni infusus medio, blandique lepores,  
In mentem veniant, & non reditura voluptas.  
Iam loca congressu celebrata, acceptaque quondam,  
Seu iuga, seu ripae virides, muscosaque saxa.  
Credo equidem, gemitum ex alto, & suspiria duces,  
Optabisque sequi tandem; jam solus & vnus,  
Et toties miser, & dulci frustratus amore.  
Haud secus ac quondam diuulsus ab agmine magno  
Aut dama, aut caprea infelix, quam feruidus Vmber  
Dum premit, & syluam latratu personat omnem,  
Speluncae pastor subeuntem clausit. At illa*

*Stat noctem, mutumque premit conclusa dolorem.  
 Longe illi fontes iam viui, pascua longe,  
 Consuetique greges, & amicum frigus ab vmbra:  
 Nec nostro infixi labentur pectore vultus,  
 Vel Vrinti, vel, Dousa, tuus, dum vita manebit.  
 Nec tuus (heu antiqua fides ignotaque terris!)  
 Lernuti: quem nunc medium dum findimus aequor,  
 Eripuit non aequa dies. ne laetus abires,  
 Et plenus plenusque mei, cum fata vocarent,  
 Elysias sedes: haec tecum saepe revoluens,  
 Et tristem nostro solatus carmine mortem.*

*Quid fratres, gratasque nurus, castasque sorores,  
 Et quos blanda tibi coniunxit gratia lecti,  
 Iam referam? comitemque thori, dulceisque propinquos,  
 Et quae prima tibi quondam dedit vbera nutrix,  
 Et prima excepit gremio, charosque parentes,  
 Jam raptos, laetosque alibi, jam tristia rerum  
 Euectos? Nam posse ipsas cum corpore mentes  
 Extingui, res nulla docet. furor impius egit  
 Mortales, diuersa sequi vestigia vero,  
 Brutorumque animis torporem affingere nostris.  
 Ah tibi ne tam foeda, puer, persuaserit autor  
 Imbellis. quanquam & patrias praescribat Athenas,*

*Et multam referat Romano e carmine laudem.  
Heu fuge crudeles scopulos, & naufraga saxa.  
Quippe etenim, si corpus humo cum cedere jussum est,  
Jam nusquam est pars haec ingens, qua viuimus vna,  
Omniaque in terris gerimus; jacet ilicet omnis  
Et spes, & ratio virtutum, & nomen inane  
Relligio, cultusque Dei, quem tota vetustas  
Amplexa est, vitaeque olim promissa voluptas  
Venturae, laetusque ardor, qui pectora famae  
Admonet, instantemque docet contemnere mortem.  
Adde, quod in terris nihil est velocius illa,  
Et formas subit extemplo quascunque locosque;  
Nunc fera, nunc volucris: nunc priscae moenia Romae,  
Nunc petit Aegyptum viridem, fontesque latentis  
Ambiguos Nili, & Libyae deserta peragrat.  
Abdita nunc terrae ingreditur. nunc proxima Soli,  
Inter & errantes per coelum voluitur ignes:  
Et sola aeternum videt indefessa Tonantem,  
Proximaque assequitur, coeptisque audacibus vrget.  
Quoque magis toto diuersa a corpore fertur,  
Hoc magis immensas diuersa à corpore vires  
Explicat; ac victrix membrorum incedit; & vltro*



*Euolat ad superos, proprijsque enititur alis;  
 Parte carens omni: ne iunctam ex partibus vllis,  
 Diducat suprema dies. His adde, quod intra  
 Se rapitur, magnaëque instar conuertitur aethraë,  
 Quo properat, formaëque habilis iam tendere certat,  
 In gyrum assidue, & circum metatur eundem,  
 Fons motus & causa sui: vitamque ministrat  
 Prima, nec alterius deductam e fontibus haurit:  
 Adde his imperium soli quod conuenit: & quod  
 Corporeasque premit pestes, omnemque coërcet  
 Immunem ratione animum, turbasque cientem:  
 Adversumque nihil, nihil est quod destruit intus  
 Puram in se, longeque alia contage remotam;  
 Nec ferrum capit, aut incussi vulneris ictum.  
 Adde, quod in toto nihil est, quo vergere possit,  
 Quod fieri pars illa iterum. non terra, nec aër,  
 Nec mollis liquor, aut rerum purissimus ignis.*

*At neque pars (ne falsa adeo consuesce doceri)  
 Corporis est animus. tenues vt fusus in auras  
 Occidat extincto. nec enim conclusus, & vtre  
 Conditus, aut sparsa veteri fuligine testa,  
 Deficit effracta, pariterque extinguitur humor,  
 Aut vestem sequitur diductam immobile corpus.  
 Adde his praecipue, blandaë quod tempore vitae,*

*Ingluue, longoque aeuo, tardaue senecta,  
Et morbis trahitur mens, internuncia tantum  
Aeternae intactaeque animae, non ipsa. nec vnquam  
Carpitur infelix, aut solui posse fatetur.*

*Longe igitur molles Gargetti excedere fines  
Praecipio, blandosque hortos. saepe inter amoenas  
Vmbrarum latebras, & qua se plurima tellus  
Induit in florem, vario formosa colore,  
Occultus tegitur, furtimque allabitur anguis.*

*Heu quanto melius diuinae oracula vocis  
Excuties, vatesque ipsos (non omnia vates  
Vera negant, aut falsa canunt) seu dirus Vlysses,  
Seu pater Aeneas, populos, post funera, raptos,  
Ante obitum videt, & seriem perlustrat auorum:  
Seu cum Tantalides furijs agitatus Orestes,  
Multa pauet, quacunq; pedem vestigia fixit,  
Et matris nondum extinctam circumspicit vmbram.*

*Nec nihil est, quod summo honos Acheronte sub imo  
Soluitur, & tanquam praesentibus omnia reddunt  
Qui superant. quod vix Siculis allapsus arenis,  
Et ludos, & sacra parat Troianus, & omnes  
Euocat ad cineres, tumuloque affatur ab alto.*

*Saepe igitur, tecum ipse,, tuos iam lumine functos,  
Percense, & rebus jam nunc assuesce futuris.*

*Paulatim incipies viuendi addiscere finem  
 Esse aliquem, quo sponte sua delabitur aetas.  
 Non secus ac neruo si quando excussa sagitta est,  
 Illa volat, tenuesque secans perlabitur auras  
 Protinus, & nusquam, nisi jam defixa, quiescit.  
 Aut velut in circo, cum se effudere quadrigae  
 Faucibus epictis; volat irrevocabilis axis  
 Raptus equis: donec spatijs exinde peractis  
 Substitit, & summum circumiuit cursibus orbem.  
 Ipsa monet mors quemque sui. Nonne aspicias vltro  
 Ante oculos, vt nulla dies sine funere, Solis  
 Condat equos pelago, roseisque emergat ab vndis?  
 Quin etiam, tellus tumulos ante ora tuorum  
 Exhibet ipsa tibi, monumentaque luce carentum  
 Cernimus assidue, medijsque erramus in vmbris.  
 Haec tacite demissa iuuant in pectora: ne mors  
 Obruat immemores, subito quo inuadat inertes.  
 Omnia praetereunt, finisque ab origine prima  
 Fit propior propiorque sibi. Sic laeta iuuentus  
 Paulatim moritur, tarda accedente senecta:  
 Morsque sui est quodcunque fuit, quodcunque sub oras  
 Excipit aetherias venientem, & limina vitae.  
 Naturam quoque saepe animo peccurre parentem,*

*Haud ingrata dabit tantae solatia curae.  
Corpora prima vides quanto molimine rerum  
Intereant, magnam meditentur vt omnia mortem:  
Vt funus terrarum, & vasti indicat Olympi,  
In se qui assidue mutando labitur ordo:  
Donec summa dies, haec circum ingentia texta  
Soluerit, & cinerem supremum exegerit ignis.  
Ipsae etiam pecudes armentaque laeta per herbam,  
Sponte sua, seu vi, concedunt omnia leto.  
Ipsae etiam volucres, liquido cum murmure, dulces  
Deposuerunt animas: quamuis incommoda nulla,  
Nullam aut pauperiem, aut vitae sensere dolores.  
Innocuum leuibus transmittunt aëra pennis,  
Quaque volant, reperere aliquam sedemue laremue,  
Fluminaque, & syluae, victum tribuere volentes,  
Curaque parua, domi similes educere natos.  
Nec requies, quin vel moriens philomela sub vmbra  
Dulce canat: quin & funesto gutture cygni,  
Maeandri ripas, & flumina nota Caystri,  
Pertentent, laetamque inuitent carmine mortem.  
Siue illis stimulos imo sub pectore numen  
Versat, agitque animum maioris lumine veri:  
Siue illis ratio, nostris e mentibus, addit  
Exiles radios: quos vitae tempore summo*

*Elicit, & virtus Naturae educit in altum.*

*Vere nouo, quaecunque comis felicibus arbos  
Nascitur, aut viridis proleat semina tellus  
Herbarum, e gremio, vitam illis frigore duro  
Intercepit hyems. vstaeque, haud saepe resurgunt,  
Candenti glacie, & Boreae stringentibus alis.  
Saepe etiam Nymphae, medijs in montibus ornum,  
Saepe etiam Nymphae, contactam aut fulmine quercum,  
Aut vlmum, aut saeuo percussam vulnere pinum,  
Ludorum memores, & quas duxere choreas  
Sub folijs, luxere: illa haud reditura sub auras  
Occidit, & nullas iam texit frondibus vmbras.*

*Quid florum genus omne canam, dilecta parenti  
Pignora? quanquam illis angusti terminus aeui  
Includit volucrem prima cum pube iuuentam.  
Nec tantum posuere caput, cum grandinis horror,  
Aut Eurus, grauiorque decus breue perculit imber;  
(Quam mallent roseos formosi pascere vultus  
Luciferi, & niueos Aurorae ducere succos!)  
Quondam etiam, immites radios Hyperionis alti  
Expertos, penitus vitalis deficit humor,  
Et moestam lapso planxerunt corpore terram.  
Sol quoque deficiens, leti argumenta futuri*

*Saepe dedit, quotiesque attollit lumina vesper,  
 Occidit, & nata moriuntur sidera luce.  
 Illa quidem reditura, vale, vale, omnia dicunt,  
 Sub tenebris quoties texerunt tristibus ora,  
 Aut cum laeta dies poscente accedit Eoo:  
 Multa tamen latuere diu, fugiuntque videri,  
 Aut prorsum intereunt, postquam impleuere tremendos  
 Fatorum monitus, & laesi numinis iram.*

*Nec non arcta tenet leti confinia somnus,  
 Seu cum multa quies victosque altissima sensus  
 Alligat, ignarosque alibi quodcunque malorum est:  
 Seu cum errantem animum diuerso a corpore soluit,  
 Immensamque docet per se consistere mentem.  
 Quae saepe excussis, ceu libera, fertur habenis,  
 Per loca corporibus clausa, & distantia longe,  
 Et libertati nondum praecludit adeptam.  
 Iamque monet properare alio, quo maxima quemque  
 Euocat, & misso petitur certamine palma.*

*Nec vos arguerim, coeli qui limina, quique  
 Venturam vitae faciem, lucemque serenam,  
 Gaudiaque, aeternam posito quae corpore mentem  
 Excipiunt, multo jam nunc praecurritis ante;  
 Sensibus euecti, quantum sors corporis aegri,  
 Imbellesque sinunt leges, diuisaque jura.*

*Ante alios, genitorem ipsum: quem mille cohortes  
 Aligeræ circumuolitant, iussisque ministrat  
 In turmas glomerata, poli formosa iuuentus:  
 Quæque homini prænosse licet, quantumque futuri  
 Conscia, divino monitu prædixit Idume;  
 Alloquio coeli, & superûm dignata fauore.  
 Nec vos, qui mundi extremum quo vescimur omnes  
 Aëra, morborum auspiciam, causamque malorum  
 Asseritis: sæpe autumnò letalibus austris  
 Impulsum, subitoque aestu, subitisque malignum  
 Frigoribus: sæpe accenso diuinitus igni.  
 Quem nec Pœoniae potuerunt flectere curæ,  
 Sed mors sola potest; nullorum causa dolorum,  
 Sed requies finisque altae placidissima mentis.  
 Quippe illam, sedes animarum, innoxius æther  
 Excipit, & tristi defunctos corpore cingit.*

*Nec qui corpoream e leto consistere molem  
 Arguitis: quippe & tellus, & debilis aër,  
 Et flammae vigor, & flammae contrarius humor,  
 Materiem leti moribundo in corpore versant.*

*Sunt, quibus horrorem immodicum letique pauorem  
 Conciliant, vanæ species, & mortis imago,  
 Aut menti modus ante diu præcognitus: acsi*

*Mors aliud foret atque aliud, grauiusue minusue  
 Extincto. seu tela manu fabricata Cyclopum  
 Immittat pater, & tanto caput obruat igne,  
 Terrifico insurgens tonitru, coelumque per omne  
 Inter se fracto impellens cum murmure nubes:  
 Seu centum super incumbat crateribus Aetna,  
 Seu totum fugientem animam circumstrepit aequor,  
 Aut montis simulachrum, ingens e gurgite monstrum  
 (Qualia multa mari medijsque in fluctibus, altas  
 Circumerrant puppes, armenta immania Nerei.)  
 Hauriat: aut lato tellos discedat hiatu.*

*Saepe metum peperit vis importuna doloris  
 Conspecta ante oculos, impressaque sensibus: aut cum  
 Incubuit morbus grauior, vel vulnus ad ossa  
 Incussum totis descendit viribus. Atqui  
 Nec dolor est in morte grauis: dolor omnis abactus  
 Ante obitum, cum luce perit. Quaecunque timemus,  
 Aut tulimus, dum vita manet, dum spiritus; vna  
 Abscedunt, cum blanda suo de corpore vita  
 Diffluit, & tenues animus differtur in auras  
 Quin etiam vitae fungentem munere, sensus  
 Deficiunt, linquitque animus, puramque quietem*



*Praebet, & extremae similem, nulloque dolore  
 Torpet, & attonitam trahit in consortia mentem.  
 Vanum igitur causamque sui dedisce timorem,  
 Aut supera, morbumque fuga virtutibus hostem.*

*Atque ideo (saepe illud enim quoque profuit illis  
 Quos deformis agit leti metus) aspice crebro,  
 Quos saevi ante obitum morbi durique dolores  
 Exercent, aut queis fugientis tempore vitae  
 Imminet, & nigra mors circumvoluitur ala:  
 Nec non & quos illa tulit, quos vita reliquit,  
 Aspice: collapsasque genas, pallentiaque ora,  
 Oblitosque oculos iucundam ducere lucem.  
 Et quaecunque patent moesta ac deformia visu  
 Sensibus humanis; cum magnus transijt hospes,  
 Et, coeli, excedens, sese in conuexa recepit.  
 Qui simul angusto vacuum pro corpore mundum  
 Induit, & spacium immensi possedit Olympi,  
 Ipse suos longe collustrans despicit artus:  
 Vt quondam celsa e specula, aut e rupe, viator,  
 Neglectos positosque procul despexit amictus.*

*Sunt quibus illecebras pauidis, vt vincula captis,  
 Injiciunt, Injuncta domus, patrijque voluptas  
 Ruris, & exculti proavis felicibus horti:  
 Aut dulcis coniux, natiq; parentibus orbi.*

*Corpore quae posito, nec jam superesse putandum est,  
Si non angustos excedunt corporis vsus,  
Nec desiderium superest aut cura fruendi.*

*Sed neque tempus idem fati, neque terminus aevi,  
Metaque. namque alij subito, nil tale timentes,  
Corporibus teneris (ceu flos quem conspicit Eos  
Tollentemque caput coelo & formosa rubentem,  
Hesperus immitti veniens proscindit aratro)  
Surgentem prima vitam cum luce relinquunt.  
Felices, quibus ante annos, securam malorum,  
Atque ignara sui, per ludum elabitur aetas.  
Seram alij mentisque inopem venerunt senectam.  
Heu quibus impulsus vitae (dum vita manebat)  
Fluctibus! heu quoties ingratos surgere soles  
Videre, & soli ingratas succedere noctes.  
Ah miseri, quibus acer amor luc[us]que cupido  
Corde haesit pauido. luctantes gurgite vasto,  
M[ul]le inter scopulos, saxisque haerentia saxa,  
Littoribus proram obuertunt, sedesque quietas  
Naufragio in medio fugiunt, patriamque vocantem.  
At quondam optato cum primum in littore puppes*

*Const[er]unt, pelagi emensae quodcunque pericli est,  
 Post Scyllae rabiem, formidatamque Charybdin,  
 Et sale quassatam dubio ventisque carinam,  
 Oceano, patri rerum, & tibi maxime Nereu,  
 Vota coronati soluebant debita nautae.*

*Nec tamen infelix Hecube, cum Pergam[am] flammis  
 Versa videt, captosque Deos, tractumque per aras  
 Laomedontiaden, crudeli occumbere ferro,  
 Et caedem Polydore tuam, sparsosque cruore  
 Pelidae thalamos, longaeuae incommoda vitae  
 Nescit, & immites nequicquam plurima Diuos,  
 Voce vocat, moestamque optat non ducere lucem,  
 Et Priamus, Pyliusque parens. Sed laeta iuuentus  
 Fortunae obsequijs, & adhuc intacta dolore,  
 Felicem metuit viuendi absoluere cursum.*

*Quid memorem, quemque vt doceat iam serio[r] aetas,  
 Aspera quanquam absit durae violentia sortis,  
 Velle mori? cum tardus hebet sub pectore sanguis,  
 Et morbi adueniunt: nec iam pars corporis vlla est,  
 Vtilis aut curis, aut fortibus vtilis armis.  
 Ipsaque mens, veluti, cum jam Titanus orbis  
 Pallentes radios caligine tingit & vndis,*

*Languet, & extremam patitur succedere noctem.*

*At vos, dum superat vigor ille intactus & acer,  
Dumque calent feruentque animi, dum robora corpus  
Sufficit indomitum, venturi in tempore leti  
Contemptum exercete viri. Sic magnus Achilles,  
Totus adhuc plenusque sui, Phoebèia tela,  
Et flammam Alceides funesti pertulit Oetae.*

*Hinc adeo, veri studium mentisque vigorem,  
Moerorem contra assiduum, foedosque tremores,  
Et breue viuendi spacium, sub pectore cuiuis  
Condidit omnipotes genitor: quo maximus ille  
Exuitur leti pauor, atque extenditur aetas.  
Sic Graiûm antiqui proceres, quos fama reponit  
Dis ipsis inter genitos, magnique Quirites,  
Concessere quidem fato, quo tempore fixa  
Eripuit series quemque, atque immobilis ordo;  
Sponte sua; seu quem saeui tulit area Martis.  
Quod superest, totum venturi temporis aevum  
Adjecere suo. clausi[s]que in corpore, saepe  
Robustos gemitus hirsuto è pectore mittunt;  
Virtutis memores, & libertatis amore.  
Vt cum fortis equus Pisaeae victor oliuae,  
Aut quem sanguineus saeua ad certamina Mauors  
Deposcit, fremitusque virûm, lituosque tubasque,*

*Nunc misero datus agricolae, pede creber inertem  
 Pulsat humum, patriamque domum testatur & ignem  
 Naribus, & curuum collo auersatur aratrum.  
 Tum quoties tota ante oculos consistere visa est  
 Posteritas, quoties extemplo gloria dulcis  
 Viuendi post fata, ardorem incussit honestum;  
 Continuo totis vanescit mentibus horror  
 Jmbellis, laudumque vltro succedit imago.  
 Nec tristis leti facies, nec nomen inane,  
 Euertent solido firmatas robore vires  
 Pectoris, aut coeco quatient molimine mentem.  
 Hoc vero auxilium inprimis adhibere memento,  
 Fatorum terrore animum perculsa iuuentus.*

*Nec frustra toties, iterumque iterum, monebo,  
 Exercere aciem mentis, fatigue latentem  
 Expectare diem, cunctosque inuadere factis  
 Quotquot ab Eoo venientes littore soles  
 Exerit Oceanus. Sic vitae impenditur omnis,  
 Et late producta patet quae ducitur aetas,  
 Virtutis spatio descripta, & laudis honore,  
 Quam nec summa dies, nec sors intercipit vlla.  
 Nam patet immensum, longeque extenditur extra  
 Fortunam vitamque animus, suaque omnia secum  
 Vindicat, & terris non interitura relinquit.*

*Nec labor insolitus veniat, nec credere coelo  
 Neglectos non aude artus: seu Sirius agris  
 Flauentem exurit segetem, seu frigore saeuo  
 Adversis Boreas defixit flumina ripis:  
 Nec totis dubita sudorem indicere membris.  
 Paupertas durusque labor, fregere pauorem  
 Immitis leti. Nec raro incomptus arator,  
 Callosusque manus, & multo sole perustus,  
 Incumbens stiuae, & sterili, dum viueret, aruo,  
 Aut pastor, loue sub gelido producere noctem  
 Consuetus, veluti redituram tempore paruo  
 Deposuit vitam, patriasque effudit in auras.*

*Nec mihi displiceat, qui saepe pericula gaudet,  
 Stare caput circum, dubijsque increscit, & altam  
 Virtutum segetem, media depascit in herba;  
 Fortis ab aduersis, meliorque ad singula, rebus.*

*Sola docent aduersa mori. res pectora figunt  
 Sensibus, & coelo non respexere, secundae.  
 Adueniet tempus quondam (ne quaere moneri  
 Praecepta, & nigri contemptum addiscere leti,  
 Cum tristes animis infigunt vulnera curae)  
 Adueniet, cum sponte tua discedere vita  
 Et moestam optabis nequicquam abrumpere lucem:  
 Seu rapta infelix desertum coniuge lectum*

*Plorabis: seu, nata, procis jam mille petita,  
Iam deuota thoro, jam primos pacta nepotes,  
Ante fores thalami, & ridentis Hymenaei,  
Occidit, & fato spes intercepta fefellit:  
Seu patri similes ipsa inter gaudia natos  
Extuleris, nequicquam amens victusque dolore.  
At nos vrgenti rationem opponere morti  
Tendimus, apprime tunc, cum laetissima ridet,  
Nec quicquam ingratum sors non aduersa minatur:  
Nunc saeua, interdum facilis. quanquam omnia dura  
Expedit, & tristes penitus cognoscere casus,  
Et rerum scopulos, & moestae incommoda vitae.*

**Dan. Heinsii De contemptu mortis  
Lib. III.**

**Argumentum.**

Liber tertius informat militem; qui praecipue sic nasci debet, sic institui, ut pro patria moriendum sibi aliquando esse intelligat. Talis, quo pacto solidam animo virtutem & contemptum mortis debeat parare, ostenditur.

*B*ella vocant, foedaque animi formidine mortis  
Soluendi, prius arma manu quam tollere miles  
Incipit, & lateri custodem accommodat ensem.  
Crescit opus pariterque ardor, quanquam ardua restant,  
Debita nec iustis indulgent tempora Musis  
Ocia, speluncaeque cauae, nemorumque recessus,



*Et scatebrae fluviorum, & grati vatibus amnes.  
 Nec nos Pausilypi colles, nec consita myrtis  
 Mergillina tenet, fusaeque ad littora glaucae  
 Nereides: nec nos virides Sebethus, ab anatro  
 Prospicit vmbroso, gelida qua plurimus herba  
 Cingitur, & dulces citrorum e floribus auras  
 Spargit odoratus Zephyris fragantibus aër.  
 At non pura deest, at non tranquilla voluptas,  
 Quanquam inter strepitus, quanquam inter gaudi[a] vulgi,  
 In sua conuersam penitus subducere mentem  
 Sensibus, & toto iam nunc subducere leto,  
 Si qua fata sinant: summoque e vertice Pindi,  
 Belgarum populis decerptam ostendere laurum.  
 Hanc mihi frondentem tumulo defige sub alto,  
 Rutgersi, postquam atra dies exegerit olim  
 Infractum terrore animum. nam caetera coniux,  
 Communesque tibi, si quae est fiducia lecti,  
 Persoluent tacito deserti in funere nati.  
 Iam mihi principio, generosi Martis alumnus,  
 Cum primum aetherias vagitum attollit in auras,  
 Deuotus nasci patriae mortique futurae  
 Sentiat extemplo, luxumque eiuret inertem.  
 Illi adeo procul a cunis ignaua voluptas*

*Absistat, somnosque leues Patientia nutrix  
 Conciliet, ventosque pati condiscat & imbres.  
 Siue illum in medio castrorum interrita mater  
 Edidit, & clypeo nascentem sustulit horrido  
 Enitens: seu forte domi, dum proelia miscet,  
 Et crudum genitor defendit moenibus hostem.*

*Nec non & gladios fulgentes, telaque tangat  
 Sanguine respersa, & suspensa in limine primo  
 Instrumenta necis. Tum, si quae, praeuia morti,  
 Aere procul longo sonuit tuba, corpore toto  
 Gestiat, & pulchro iam nunc occurrere leto  
 Promittat, tenerasque manus & brachia iactet.*

*Mox & purpureo vix dum lanugine malas  
 Inscriptus, fremat arma vigil, noctemque sub atram  
 Aestuet, ardentem excussus pectore somnos.*

*Atque illum aspiciens matrona e turribus altis,  
 Aut longe hostili sub culmine regia virgo,  
 Intactam primo tabescens vulnere mentem,  
 Horreat infelix: seu prima exordia cernit  
 Irarum, toruosque oculos, gressumque minacem:  
 Siue incompositas voces, incomptaque membra.*

*Omnibus, aeternae quibus est custodia curae  
 Mentis, & idem animus generoso occumbere leto,  
 Imbellis toto prohibendus corpore torpor,*

*Et quae mollicies sensus oblimat inertes.*

*At vos praecipue, quos duri gloria Martis  
Exercet, tolerate, viri, quemcunque laborem,  
Protinus, & totas animorum intendite vires.*

*Vos & cornipedem a teneris inflectite: vobis  
Auspicia armorum, & belli simulachra ciendum  
Crebrius, & magnos tranandum saepius amnes,  
Aut salsum aduerso frangendum pectore pontum.  
Saepe etiam, ardentem cum Sol accenditur orbem,  
Millia multa viae gradiendum, aut corpus in auras  
Librandum, connixum hastae. tum vimine iuncto  
Jliceae crates, medijsque in vallibus ingens  
Palus, & impulsus crebris gemat ictibus aër.*

*Nec non & tenuis delectet victus, & asper,  
Tyronem, quo quemque tulit sors obuia quaeque,  
Et gelidae, quanquam glacies stetit horrida circum,  
Haustus aquae: fessusque via fractusque labore  
Jmmenso, quamcunque premat sub corpore terram.  
Sic bello asseritur virtus, sic foeda voluptas  
Jnterit, & leti paulatim excinditur horror.*

*Nec duros operi nocet intendisse lacertos,  
Aut coelo firmasse animos. inuicta iuuentus,  
Rupibus in medijs scopulisque educta, sub Arcto,  
Quaerenda est; sulco lassata & caedore fustes*

*Quadrifidos. quos nullus amor vitaeque suique  
Imbuit intrepidus, opibusque affixit & auro.*

*Profuit & primos Venerem fugisse per annos,  
Et sero blandas Hymenaei accendere taedas.  
Hinc vigor, hinc vires solidae, morituraque primam  
Ante aciem soboles, ferroque inuicta iuuentus.*

*Praecipue, dulcem patriae primaeuus amorem  
Jmbibat, & deforme viris horrescere discat  
Seruitium: semperque animis infixi recurat  
Libertas, victorque hostis. quantum ille minetur  
Exitium, captaeque domo, natisque thoroque.  
Tum tot saeuitiae facies, & sanguine toto,  
Atque animis centum, centum si fata dedissent,  
Dedecus auertendum, & captae opprobria vitae:  
Cunctaque virtute in terris gladioque parari,  
Et vitae precio. quam sponte aut pallida tabes  
Exiget, aut totis incumbens viribus ardor:  
Nec melius, quam cum, summo in discrimine rerum,  
Aut peilo aut stricto mucrone educitur acer  
Spiritus, ire foras dignoque euadere leto.  
Non illum longae trahit inclementia mortis,  
Nec dolor imbellis lachrymas, cum summa minantur,  
Exprimit aut gemitus. sed adhuc arrectus & ardens*

*Dilapsus, magnoque emissus vulnere, lucem  
Transit in innocuam, meritoque occurrit Olympo.*

*Sed neque secretos sapientum insistere calles  
Praecipiam. decet arma rudis constantia recti,  
Nec crebri monitus, sed honesti cultus & aequi,  
Exemplo incumbens maiorum, & fortibus ausis.  
Ducitur exemplo melius Mauortia virtus.*

*Quin etiam hortatus heroum, & grandia verba,  
Cum patriae rebusque monent impendere vitam,  
Profuerit versare manu: si nescius artis  
Praecipue sit sermo, brevisque, & fortis, & ardens,  
Arma inter genitus: qualem sub casside fundunt  
Romani Graique duces, cum jam instat Enyo,  
Et steterunt vtrinque acies, nescitque morari  
Arrectus sonipes, & lentis pugnat habenis.  
Nec minus excelsas armasse in proelia mentes  
Tyrtaeum memorant, qua pinguis culta Galesus,  
Seu pater Eurotas, inuicto interluit amni,  
Tyrrhenae quam signa tubae, lectumue, priusue  
Auditum, quam prima manu praeluderet ira,  
Et junctis pariter miscerent proelia signis.  
Caetera parce puer: nec te sapientia dulcis  
Nequicquam, aut discendi ingens circumegerit error.*

*Nec mihi Stagirae veteris tristisque Cleanthae,  
 Cum patriae res poscit opem, peruoluere tyro  
 Incipiat placita, primasque inquirere causas,  
 Et rerum series. quanquam fuit vtile multis,  
 Quid fortem deceat, qualem sapientia ponit,  
 Vestigasse prius: nec non &, robore quantum  
 Corporis indomito, rabieque & caede ferarum,  
 Intersit ratio, belloque interrita virtus,  
 Nec spe nec precio, sed soli obnoxia pulchro;  
 Naturamque animae, & totum perdiscere verum.*

*Talibus imbutus studijs, doctaeque Mineruae,  
 Et Sophiae gremio, & casti rectoris in vlnis,  
 Cliniades, vt fama refert, eductus, ad arma  
 Deuenit, galeaque genas inclusit & ora.  
 Nec quisquam antiquo prognatus sanguine Thesei,  
 Aut acreis Spartae populos, aut turbine tanto,  
 Trinacriam afflixit omnem, patriosque perosus  
 Fregit Erechthidas, totumque exterruit aequor.*

*Nec dubitem, imbutos illis, venisse sub alta  
 Pergama, Peleiden inuictum pectore & armis,  
 Et geminos reges, & quem Salaminia tellus  
 Edidit, immemorem leti: seu nube sub atra  
 Troas agit, circum caligine fusus & vmbris,  
 Jamque optat cum luce mori: siue Hectors contra*

*Ardentem, immenso provoluit robore saxum.*

*Est in Thessalia herbosa, qua Pelion altum  
Deficit, & raras densantur frondibus umbrae,  
Vallis, ab obiectu nemorum diuersa, nec Austro  
Obuia, nec Boreae. Zephyrus perlabitur herbas  
Lenis & erranti similis, floresque comantes  
Parturit, aut genitis foecundas sufficit auras,  
Et tepidos rores, & amicum e collibus imbrem.  
Illic magnanimum, vt fama est, eduxit Achillem  
Iunctus equo Chiron. quo nec facundior alter  
Semiferos inter, morbosque auertere dextra  
Promptior, aut altas ad laudem effingere mentes.*

*Atque heic, dictamnium viridem, succosque salubris  
Poeoniae, panacenque sui de nomine dictam  
Aitoris, quamque ipse suo de nomine dixit  
Pelides, studio immenso nutribat & arte.  
Et quae praeterea diuersos gramina succos,  
Aut vires de matre trahunt. quas prima vetustas  
Tradidit, & seri vix accepere nepotes;  
Parthenion, polionque, & vix nunc cognita terris,  
Nepenthesque, balinque: & quam, si credere dignum,  
Primus Atlantiades Circeo in littore visam*

*Effodit, primusque agili monstrauit Vlysei.  
 Radix nigra quidem, niueo sed proxima lacti  
 Flos albet, flauetue aliquo sub pallidus auro.  
 Non illam superent, quas vsquam maxima tellus  
 Educit, pulcherque sub Sol elicit igne,  
 Aut vires magicas arcere, aut soluere captas  
 Dulcibus illecebris animas, aut denique coelo  
 Illustres oculos purgatae attollere mentis.*

*Caetera distincti variabant vitibus horti.  
 Hic crocus, hic loti veteres, pictaeque hyacinthi,  
 Spirabant dulcem folijs humentibus auram:  
 Noti olim in terris primi. nunc mille colores  
 Solertes operae, ac rerum prouectior vsus,  
 Repperit, & totum distinxit floribus annum.*

*Haec inter, vtijs immotum leniter aeuum  
 Transibat, curuaque senex in valle sedebat.  
 Saepe illum curae defixum & suauius herbis,  
 Aut leges animae, & Naturae arcana latentis  
 Rimantem, penitusque absentem pectore toto,  
 Vidit nata dies: saepe illum inuenit eundem  
 Exortus sero formosus lumine vesper.*

*Valle sub aduersa, platanis pendentibus atrum,  
 Stabat, & occultis horrebat frondibus antrum.  
 Queis subter volucres Auroram mane recenti*



*Purpureo e thalamo foribusque exire parantem,  
Guttur mulcebant liquido, nemorisque per vmbras  
Auratum radios meditantem immittere Solem.*

*Illic venatu assiduo, crassoque cruore  
Imbutus, defessa solo deponere membra,  
Caesarum incumbens spolijs tergisque ferarum  
Sueuerat, & serum Peleides ducere somnum.  
Quem toruus, parcoque mero, multoque labore  
Durabat senior. nec raro ad proelia dextram  
Formabat puero, clypeoque aptabat & hastae.*

*Ac tum, saepe graui testudine, tristia bella  
Heroum, forteisque neces cantabat, & ausus  
Ingenteis, cum Graia manus jam posceret arma,  
Et magnum tolli e gremio spectaret alumnum.  
Tum super incumbens lachrymisque amplexus obortis,  
Iam galea cinctum, iam gressum ad castra mouentem,  
Dicitur has sancto fudisse e pectore voces:*

*Nate puer, genitrice Dea, te maxima tellus  
Nunc vocat Assaraci, Simoisque & Xanthus, & audax  
Anchisae soboles, & amicus caedibus Hector.  
Primus ego, summi prognatam in vertice Pelij,  
Succisam virides ramos, ferroque rigentem,  
Ipse tuis jam nunc aptavi viribus ornum.*

*At clypeum, lato spatijisque immanibus amplo  
 Complexum texto Oceanum, terrasque iacentes,  
 Ignipotens dabit, & nigro Cyclopes in antro.  
 Illic & nunquam defessum surgere Solem,  
 Et Phoeben plenam aspicias, summumque per orbem,  
 Errantes alias, aliasque ex ordine fixas  
 Flammarum effigies, cognati lumina coeli.  
 Nec non & thoraca d[ab]bit, galeamque micantem.  
 Sed tibi nec clypei ingentis gestamen, & aere  
 Inclusi ferroque artus, nec caerula mater,  
 Auertet leges fatorum, & Iupiter autor.  
 Hic Chiron, artesque omnes, hic Thessala tellus,  
 Herbarum genitrix, hic victus cessat Apollo.  
 At proferre manu contractae tempora vitae,  
 Fata sinunt: totumque patet virtutibus aeuum.  
 Nec vero spes finge animis, pedibusue salutem  
 Quaere puer, tergumue obice. qua dextera cunque  
 Non deerit, Troesque cadent, tutissimus ibis.  
 Imbelles alij latebras, aditusque malignos  
 Nocte sub obscura, tenebrasque & furta, sequentur.  
 Audendum tibi, nate Dea, mediumque per hostem  
 Pectore nitendum; qua Mars densissimus vrget,  
 Et ferro via sola patet. Sic Pelea quondam,  
 Sic prius Alciden memorant, quos regia coeli*

*Inferit agminibus stellarum & lacteus ordo.  
Nam tenues animas, crassa compage solutas,  
Accipient loca pura, & formosissimus aether:  
Ast aliae, vitijs depressae, in Tartara sident  
Sponte sua, magnumque errabunt inter inane,  
Incustoditae laxati vincula mentis.  
Sic prisci docuere senes. Pars maxima nostri  
Aeterna est, quae cuncta gerit, neque cernitur vlli.  
Hanc neque tela manu iuvenum vibrata, nec ensis  
Haurit, & intactam transmittit vulnere bellum.  
Quod superest, mors tota tenet. Hoc aspice circum  
Sub pedibus, vastique oculos e vertice montis  
Circumfer. quodcunque premis, quodcunque tueris,  
Occidet, aut leto similes vanescet in auras.  
Hi quoque, care puer, quos nunc amplectimur artus,  
Troia licet, saeuusque absit procul hostis & arma,  
Exitio tamen ipsa dies dabit. exitus idem  
Imbellem fortemque manet. mors omnibus aequa est.  
At laudes leto immunes, vitamque quod vltra est,  
Crede tuum, pulchrosque ausus, & semina coeli,  
Interea, dum fata sinunt, & laeta iuuentus,  
Immensum, quacunq; patet, diffunde per orbem.*

*Dixit, & amplexus medium dimisit. at ille  
 Vix dextram insinuans dextrae, vix pauca profatus,  
 Feralem Priamo quatiens cum vocibus hastam,  
 Armatum extemplo saltum dedit. horruit ima  
 Vallis, & vmbrosas nemorum fragor impulit auras,  
 Et tota intremuit tellus sub Pelio alto.*

*Haec equidem nouisse velim. nam caetera Mauors  
 Impedit, & firmanda aetas praesentibus ausis.  
 Caetera sunt discenda manu. praeque omnibus vnum;  
 Omnia dura pati, & quaecunque incommoda membris  
 Inducunt, corpusque domant. Patientia vires  
 Intendit, sensusque docet succumbere menti.*

*Nec leue Dianae studium tentare vetabo,  
 Seu leporem, seu forte iuuat deprendere ceruum,  
 Spirantemque, & adhuc halantem soluere, ferro  
 Frustra obluctantem, pedibusque extrema mouentem:  
 Nec grauius, multoque magis sudore luendum,  
 Siue vrsus sese informis tulit obuius vltro  
 Vmbroso e nemore, aut deserti e culmine montis;  
 Seu mixtum transactus aper vomit igne cruorem;  
 Ante canum strage immensa, multoque superbus*

*Sanguine, quam toto penitus venabula ferro  
 Hausit, & extremo construit vulnere terram:  
 Seu validum saeuumque in equo subsistere tau[r]jum  
 Suasit amor pugnae, & propior Mauortis imago.  
 Tempore sic prisco cruda atque edura iuuentus,  
 Vitro illudebat leto, letique premebant  
 Virtuti aduersum terrorem, animisque fugabant,  
 Centauri Pholoe geniti, domitorque ferarum,  
 Et Pollux, & Castor, & Oenides Meleager.  
 Nec pudor, imbelli[s]ue metus, nec jura vetabant  
 Audentem, aut ditem vicino e littore praedam  
 Subuectare humeris, aut forti abducere raptu  
 Armatis ferro, mugitum ad sidera sursum  
 Tollentem, & multa conspersum caede iuuentum.*

*Quin etiam, qua vasta jacet desertaque tellus  
 Ardentis Libyae, qua Nilus nascitur, & qua  
 Turgidus Euphrates praerupto labitur alueo,  
 Bella feris gens tota gerit, pariterque leonem,  
 Non secus ac si totae acies in proelia tendant,  
 Aut circum, foueis veniunt, aut vulnere multo,  
 Et rauco sonitu clypeorum, atque ignibus, vrgent.*

*Saepe viri magnam circumstant agmine denso,  
 Cratibus, & longis protecti corpora villis,  
 Indutique artus agrestis tergora tauri,*

*Speluncam, flagisque impellunt aëra. donec  
 Fulminis in morem, aut hyberni gurgitis instar,  
 Egreditur, saeuoque obtutu incendia voluens  
 Intonat horrendum. Non sic tremit arduus aether,  
 Cum super Jndorum scopulos & confraga saxa,  
 Labitur immanis, resonatque ad littora, Ganges;  
 Maximus ipse suo, bis denisque amnibus auctus,  
 In mare prouoluens sinuosam amfractibus vndam.  
 Jamque per obstantes, post vulnera maior & iram,  
 Vertitur, & densos telorum disijcit ictus.  
 Olli instant, supraque alij. dum sanguine multo,  
 Fractus, & exhaustis procumbit viribus hostis.*

*Est quoque digna viris, Martique agnata voluptas,  
 Interea dum bella silent, dum dulcia castris  
 Ocia miles agit, positis aut luditur armis,  
 Accipitris summo pendentis in aëre pugnam  
 Rem nostri spectare aeui. Volat ardea longe  
 Aut grus, aut magno connixus remige miluus,  
 Nubibus in medijs. ille, vt dimissus herili  
 Insonuit pugno, terramque adrasit & imum  
 Strinxit iter, sensimque agiles surrexit in alas;  
 Fertur in attonitum, visumque allabitur hostem:  
 Aut ascendentem sensim, ac suprema petentem,  
 Insequitur, gyro indulgens, & turbine multo;*

*Iam propior, propiorque instans. aut corpore toto  
 Imminet, & prono frustratus pondere fertur  
 Assimilis labenti. illa haud ignara nocendi,  
 Rostro arcet tentantem aditus, laterique minantem,  
 Et varios supra assultus infraque parantem;  
 Aëre vix pendens liquido, atque immobilis alis.  
 Ille vrget, fessamque premit. dum victa pauensque  
 Decidit, acceptamque cani dedit icta ruinam,  
 Aut raptam ad dominam falcato pertulit vngue.  
 Praecipue tamen, aspectus Mauortis, & arma,  
 Consertaeque inter se acies, formidine turpi  
 Exsoluunt animos: cum vulnera crebra tuemur,  
 Et prope tot mortes, quot tela excussa per auras  
 Librantur, strictisque viri mucronibus instant,  
 Vndique & effuso spectantur sanguine riuu,  
 Atque expirantum fremitus in morte minaces.  
 Ac velut in campis, meditantem proelia primum  
 Exercent, pauidam belli, simulachra iuuentam:  
 Sic strages recte in medias cumulosque iacentum,  
 Ducitur aetate a prima Mauortis alumnus:  
 Vt mors ipsa minas paulatim euicta remittat;  
 Addiscenda diu. namque assuetudine multa  
 Vincitur, & sensim mens obdurata rigescit.*

*Ac neque tam solidi ferro thoraces & aere,  
 Nec leues ocreae, & cristati vertice coni,  
 Quam lucis decet angustae contemptus & aevi,  
 Mauortis sobolem, natasque ad proelia mentes.*

*Quippe vides, animo armatas exire phalangas  
 Contemptuque magis leti, quam tegmine vasto  
 Immanis clypei: triplex licet, & licet igne  
 Incoctus Chalybum, ferratos respuat ictus.  
 Namque ferunt, vires illum cum colligit omnes,  
 Hoc saepe instructas acies perrumpere solo,  
 Inuictos heroas, & agmina sistere tota,  
 Scutisque, gladiisque, & acutis horrida telis.*

*Nec refert, quibus aut terris, aut sanguine creta,  
 Corporis aut spacio quanto, decurrat in hostem  
 Vis animi: saepe explosi quae fulminis instar,  
 Quamuis exiguo veniens e corpore, qualem  
 Tydea magnanimum Graij cecinere poëtae,  
 Arma viri, pariterque virum ruit aequore campi.  
 Ille vel Alceiden superet grandemque Typhoea,  
 Immanes humeros, & latum pectoris orbem.  
 Sic cum puluereus totum rotat aëra turbo,  
 Exortus dum bella gerunt contraria venti,  
 Procumbunt piceae passim, platanique valentes,  
 Et fagi lous, & densae radicitus orni.*



*Omnia nam superat leti contemptus, & acer  
 Inuictusque animus. nihil ille triste minaxque,  
 Qui mente intrepida potuit, concurrere fato,  
 Jussus, & vrgenti subito non cedere leto.  
 Quicquid in aduersis posuerunt numina castris,  
 Vnda quoque, & tellus, lucisque obtutus, & aër,  
 Audendo, pulsoque necis terrore parandum est.*

*His Macetae vicere armis, Romanaque pubes,  
 Terrarum domitrix. his cessit viribus orbis.  
 Nec nobis animi, nec nobis viuuda virtus  
 Defit adhuc, fortesque irae. nec tempore nostro  
 Effoeta est tellus: quae bello interrita corda  
 Edidit, & priscos dedit in certamina reges.  
 Sed longo certoque opus est cum viribus vsu,  
 Et primis animos horroribus ante piandum,  
 Saepe aliquid pulchrum audendo. seu praeda cruore  
 Empta placet, siue incursus tentare per hostem.  
 Dum victus magis atque magis tremor occidit. & dum  
 Stare sub immoto consuescit pectore sanguis.  
 Fidentes genitor per saeua pericula Mauors  
 Respicit: ipse manu clypeum galeamque comantem  
 Objicit impavidis, victorque impune fugaces  
 Proterit, & certas cedentibus ingerit hastas:*

*Nec quisquam tergum Deus aspicit. Ergo age, sensim  
 Pro patria rebusque tuis conscripta iuuentus  
 Disce mori, pulchramque armis impendere vitam.  
 Nascenti calcanda semel via publica leti est.  
 Sic Natura tulit. nec si quis corpore toto  
 Pallidus, exanguisque metu, genitricis in aluum  
 Diuertat, totaque caput tellure prematur,  
 Euadat. stant fata Dei, stat ferreus ordo.  
 Vna patet, mediumque vacat directa per hostem  
 Semita, nec turpi opprobrio, nec cognita morti:  
 Qua ferro densata acies, & plurimus vmbo,  
 Sponte vocat ducitque viros. Sic sidera migrant  
 Heroes: magni sic scandunt aethera manes.  
 Nam simul ardent, saeuae in certamine pugnae,  
 Pectoribus stimulos incussit regia virtus;  
 Et pulchram laeta impleuit victoria mentem,  
 Tum patriae infelix facies, natiq;e fociq;e;  
 Hac omnes dextra innixi, letoque ruendi;  
 Continuo neque tela pauet, neque respicit hostem.  
 Ipse autem, toto iam maior corpore, iamque  
 Terribilis, totusque oculis immanibus ardens,  
 Ingreditur. quaque Fugam, moestumque Pauorem,  
 Atque omnis facies terrorum in proelia ducit.*

*Namque videmus, vbi sonitum tuba Martia raucum  
Edidit, & toruo crepuerunt cornua cantu,  
Protinus vt totos animus descendit in artus,  
Irritatque necem, & medium se immittere in hostem  
Deproperat: neque genua labant, neque sanguine vincto  
Cor trepidat. quanquam circumstent vndique ferro  
Millia multa, ruantque equitum peditumque catervae,  
Densaue telorum tempestas, & tonitru vis  
Ignea, quae gentem, quae totam euerteret vrbem,  
Emotam quatiat tellurem e sedibus imis:  
Multaque missa neci voluantur corpora passim  
Quadrupedumque virûmque, & leti ignobilis horror,  
Haereat ante oculos, totoque erumpat Auerno.*

*At saepe interea, rerum fidissima coniux,  
Multum heu vota facit, lachrymasque altaria circum  
Fundit, & imbelles trepidant in limine nati:  
Jllum autem, media sociorum in strage iacentem,  
Immotum, rupisque instar, nondumque feroces  
Compositum pressumque oculos, post proelia victus  
Horruit, & longe conspectum expalluit hostis.*

*Nec referre puta, patriaene in finibus orae,  
 An quacunq̄ue datur, superas emissus in auras,  
 Spiritus egreditur, sursumq̄ue per aëra tendit.  
 Omnis in obiecti pariter via limite coeli  
 Desinit: idem aequè terras amplectitur aër;  
 Et quas frigoribus Boreas immitibus vrit,  
 Et quas zona tenet candenti proxima Phoëbo.  
 Nec piget extremo Batauum sub Sole secantem  
 Aequoreas cautes, & circumstantia cete,  
 Exhalare animam. quanquam neque funera mater  
 Respexit, natiq̄ue oculos pressere rigentes.  
 Saepe etiam, Titanem extra, radiosq̄ue diei,  
 Et vitae spem depositae, mortemq̄ue sub ipsam,  
 Instantis retinet contemptum pectore leti.*

*Nec refert, tumulone aliquo condatur & vna,  
 An nudus iaceat deserto in littore truncus:  
 Dum Phoëbi facies, aduersum in pectore vulnus  
 Arguit, & dulci sic libertate fruuntur,  
 Et patria, & longe venturi e stirpe nepotes.*

*Talibus auspicijs coelo creuere potentes  
 Oëbalidae primum. nulla illis moenia, nulli  
 Urbem olim, nulli cingebant oppida muri.  
 Nec bello fas oppositos praetendere vallos.*

*Tela simul murique, animus, non cedere leto  
 Doctus, & inuicti precio percussus honesti.  
 Nec fas, lamentis miserandam accendere matrem  
 Sidera, virtute erepto pro conjuge nato,  
 Et patrum inualidis, & libertate nepotum.  
 Sed scuto impositos tollebant laudibus artus,  
 Et multo vndantes siccabant sanguine vultus.*

*Nunc quoque, Dij, priscae memorem virtutis & aeui  
 Aspirate animum patriae, tot vulnera passae.  
 Seu Pax respiciat tranquillos foedere Belgas  
 Aeterno. quae iam miseros post tempore tanto,  
 Sanguine fraterno madidos, nec tota, reuisit.  
 Siue vndae bellorum, & tristia fata, minentur  
 Hostibus inuictas inter se euertere gentes:  
 Sed potius Pax laeta veni. tibi mouerit arma  
 Hactenus, & multo lassarit funere Mauors  
 Flandrorum populos, contemptoremque Batauum  
 Lucis, & in toto meditantem proelia ponto:  
 Vsque vel Oceano qua Sol deuexus, ad Jndum  
 Voluitur occiduum, nostroque obuertitur orbi.  
 Nec mihi, Diua parens, magni incunabula Ganda  
 Caesaris, optarim peregrino in littore vitam,  
 Quam patrias inter senior dediscere Nymphas*

*Armorum strepitum, moestique incommoda belli,  
 Et circumfusum spumis candentibus aequor  
 Cattorum scopulos; aut Lizaë proximus; aut qua  
 Fluuorum Scaldis genitor, toruusque videri  
 Liuia, sublimem ingreditur pulcherrimus urbem,  
 Et treis in medio populorum illabitur vndas.  
 Sin tantum abnuerit nobis Discordia votum,  
 Et quae nunc patriam populosque exercet Erinnyis;  
 Haerentem dulci exilio, solabitur acer  
 Rhenus, & incassum nunquam imploratus Apollo,  
 Aut Musae comites, quae circum flumina, circum  
 Lugduni gelidos exercent ocia riuos.  
 Heic magnis animis, nec inertum numine, nostras  
 Dicam acies, vinctasque vno sub foedere gentes:  
 Vangiones, Celtamque agilem, Cimbrumque, Brittanumque,  
 Euganeosque sinus, pulchramque Antenoris urbem;  
 Foetam armus, foetamque animis & laude virorum.  
 Quam medijs habitantem vndis, ac jura profundo  
 Ponentem pelago, thalamis sibi rector aquarum,  
 Centum annes, centumque trahens ad festa sorores,  
 Iungit, & attonitas vocat ad spectacula gentes.  
 Illa autem refugo turrata e gurgite surgit,  
 Inuictosque premit populos, suaque omnia longe,*

*Aspicit, & latum circum errat puppibus orbem.  
Et qui nunc Geticis Mauortem detinet oris  
Multa reluctantem, Regnoque auertit Jberum:  
Siue illi iusto discedit Sarmata bello,  
Gens laeta insidijs, laudeisque oblita suorum,  
Et binos inculta pauet Liuonia reges.  
Seu Boreae glaciem, nec tutum frigore Moschum  
Fulminat, & gelidas percurrit sulphure cautes:  
Quem visu horrendae facies, Estique, Gothique,  
Finnique, Lappique, incincti pellibus ora,  
Totaque circumssistit hyems. Ille impiger armis,  
Nec coeli furijs nec tempestatibus impar,  
Quadrupedem indignantem animis, vincique negantem,  
Temperat, aut doctas solatur munere mentes,  
Aut sacrum capiti primaeuo inducitur aurum,  
Et Sueonum faciles non dedignatur habenas.  
Quicquid ero, quaecunque animum fortuna sequetur,  
Nec leti metuens, nec Phoebi intactus amore,  
Heroum meritas transmittam in saecula laudes.*

**Dan. Heinsii De contemptu mortis  
Lib. IV.**

**Argumentum.**

Postremus liber docet, Vitam nostram esse in vno Iesu Christo reconditam. Quem antiqui Patres semper sunt intuiti: donec in carnem tandem venit. idem nobis faciendum esse. Conducere huic rei assiduam illius contemplationem, veram fidem, spem, charitatem: veramque anteactae vitae poenitentiam. Cogitandum quoque de martyribus, qui exemplo suo docuerunt, eundem, mortis terrorem sustulisse, qui hanc sustulit. Cujus natiuitas, vita, mors, triumphus de morte, describitur.

*Nunc tibi, nate Deo, mundi melioris origo,  
Extremum, quod restat adhuc, decurrimus aequor,  
Omnipotens. tibi mortali de sanguine creto,*



*Nec coeli minus inuicto terraeque parenti,  
 lus vitae arbitriumque sui, mors tota remisit,  
 Et fracti cessere Erebi cum fontibus amnes.  
 Felices hinc morte tua, primordia lucis  
 Ducimus, & victi tenebras calcamus Auerni.*

*Prima adeo leti faciem, caecosque tumultus,  
 Corde recursantes dubio poenamque trahentes,  
 Subdidit alma fides, magni complexa Tonantis  
 Immensam sobolem assidue: quam protulit, aevi  
 Impatiens, semperque in se conuersus & haerens  
 Aeternus vitae genitor: velut aethere in alto  
 Flammantes radios, formoso e lumine, Titan.*

*Illum igitur, longe conspectum, atque omnia luce  
 Complentem nunquam occidua, perque omnia numen  
 Tempora fundentem, cunctorum oracula patrum,  
 Et longus venturum olim praedixerat ordo  
 [V]acidum, sceptrigens non ignara futuri,  
 Extra orbem letique vias: vbi nulla piorum  
 Gaudia, cura necis, volucrisque includeret aevi  
 Festinata dies. Quippe illuc ducere vates,  
 Attonitos coeli monitu sacroque furore.  
 Illuc tot Cananaeae amnes, viridesque recessus,  
 Fluminaque, & dulci manantes nectare lucos,*

*Aruaque coelesti vix decedentia mundo  
 Arboribus patulis, foecundaeque vberis glebae.  
 Illum omnes heroum animae, quas saecula prisca  
 Ediderunt, videre, inter curasque laboresque,  
 Et leti terrorem, & moestae incommoda vitae.  
 Illum & Lamechides, sceleri gentique superstes  
 Humanae, cum praecipites ex aëre nimbi,  
 Montibus vndarum grauidi, coelumque per imbres  
 Ingrueret terris, terrasque inuolueret aequor.  
 Illum & foecundus genitor, cui natus ad aram  
 Astabat, generis tanti & spes sola nepotum,  
 Iam vinctus pictasque genas pulchrosque lacertos,  
 Eductumque atro tincturus sanguine ferrum:  
 Ni puer ex alto volucer demissus Olympo,  
 Libratum, sacra ceruice, auerteret ictum.  
 Illum, oculis quanquam captus, pater Jsacus, illum  
 Canities Iacobi longaeua, in limine leti,  
 Vidit ouans animi: vel cum se immanibus ausis  
 Luctator coelo opposuit, natoque Tonantis.  
 Illum etiam, dux intrepidus per devia Moses  
 Additus erranti populo, conterritus hausit  
 Saepius, aut fessis praeueuntem, aut numine fractas  
 Instaurantem acies: aut cum caligine multa*

*Vestitus, totoque ardentis culmine montis,  
Bis quinos monitus ingrato panderet orbi.  
Ante alios autem, imperio fidibusque decorus  
Magnus lessides, ingentes pectore motus  
Praesensit, totumque animo concepit Olympum,  
Et consanguinei regnum viresque superbi.  
Nec secus ac longe conspectum affatus amicum est.  
Quinetiam, tanto percussus numine, tristis  
Visurus Phlegethonta negat, manesque profundos,  
Attonitus. laetusque animi certusque salutis  
Acturus: quanquam medio deprensus Auerno,  
Et circum obsessus gelidae caligine mortis;  
Pactorum memor, & promissi pignoris haeres.  
Hinc pulchros memorat sceptri venientis honores,  
Et regem, terrae dominum, fatique potentem,  
Portendi: virga indomitos qui proterat hostes  
Ferrae. justa animum si quando incesserit ira.  
Hujus in aduentum, stimulis percussus ijsdem,  
Et coelo plenusque Deo, noua saecula condit  
Maximus Amosides, regum haud indignus auorum.  
Ille &, criminibus pulsam, terrisque fugatam  
Astraeam, coelo comitem descendere ab alto  
Aspicit ingenti puero. quo frausque dolusque,*

*Et leti metus, & tristi vis proxima leto,  
 Desinet, & fracto mitescent tempora ferro.  
 Nec stabulis se inferre lupus cessabit, & agnis  
 Acclinare latus: junctaeque informibus vrsis  
 Pascere securae media de nocte iuuencae.  
 Nec pecudes inter totisque armenta diebus  
 Nequicquam formae saeuorum errare leonum.*

*Nec quinque, ac totidem, dictantes fata puellae,  
 Nesciuere diem, coelo quae iungeret alto  
 Depressas errore animas; certosque furores,  
 Visaque mandarunt folijs. Sic tempore ab omni,  
 Et vix iam prima crescentis origine mundi,  
 Dilecto occurrit populo: seque omnibus vnum,  
 Aduentumque suum, dulcemque ostendit amorem.  
 Terrorem vt leti horrificum, moestosque pauores,  
 Vita idem, vitaeque autor, formidine captis  
 Tolleret ex animis. summo dum missus Olympo,  
 Ferratos magno erueret molimine postes  
 Eumenidum, gentesque atro subduceret orco,  
 Ereptas leti imperio, & crudelibus vmbris.*

*Ac veluti, si quem laetae sub flore iuuentae,  
 Versat amor, primaque animum dulcedine tangit  
 Casta Venus, nequit expleri, pictosque pudore  
 Miratur lustratque oculos, nutusque loquentis*

*Obseruat, sequiturque pedum vestigia passim  
 Obuia, nec pulchro meminit discedere vultu:  
 Haud aliter, summi non enarranda parentis  
 Progenies, nunc hac terras sub imagine nunc ha[c],  
 Lustrauit, praesensque suis occurrit ab alto,  
 Et comitem dedit, & rebus coniunxit egenis:  
 Corpore dum nostro, terras intrare parantem,  
 Suscepit, nostroque hausit de sanguine, tandem,  
 Nupta Deo, totumque parens illaesa pudorem.  
 Protinus exortum, tenebris cedentibus vltro,  
 Ceu nato post astra die, gens omnis lessae,  
 Promissis infixam animos, sparsaeque per urbem  
 Reliquiae tenues veterum sensere piorum;  
 Iam desiderio exhausti, iam mentibus aegri:  
 Optantes eadem cuncti, pariterque precati,  
 Depositum vitae, pignusque ante ora tueri,  
 Atque oculis coram domitorem expendere leti.  
 Vt cum magna domus, digressu exercita pridem  
 Grandaeui, quem sola videt, quem sola parentem,  
 Sola diu iam dixit auum, spemque omnis in vno  
 Fixit, & assiduis lassauit sidera votis;  
 Si quae illum patriae carisque parentibus olim  
 Prospera lux longis venientem sistat ab oris:  
 Illum adeo, multis si jam volentibus annis*

*Accipiant reducem; certatim hinc turba nepotum,  
Hinc castae matres, hinc certant oscula natae  
Praeripere, & laetas diffundunt atria voces.*

*Hunc igitur, seu mane nouo Tithonia coniux  
Ardentem Phoebi radijs praeuertitur ortum,  
Seu cum candentem medio regit aethere currum,  
Et sero Oceani condit sub gurgite Titan;  
Vnum animis spectata, totoque in pectore conde,  
Tot quondam insidijs, tot tempestatibus actum.*

*Siue illum virgo infelix, castissima rerum,  
Magali locat in medio, foenoque reponit  
Plorantem, & nostro singultus ore cientem.  
Seu Nilum petit exilio, patriosque penates,  
Heu puer, & multo quaesitus sanguine linqvit.  
Quem propter, dum dulce caput vix tollit in auras,  
Tot blandae cecidere animae, mediasque per vrbes  
Attonitae planctu ruperunt pectora matres:  
Siue illum genitor pallentis circuit Orci,  
Et longe populo semotum, in culmine sistit  
Verticis abrupti: seu dirae incommoda gentis,  
Et totam Solymae crudelis sustinet iram.  
Siue illum, quem non animi capit igneus ardor  
Humani, non coeli obices, non vltimus aër  
Includit, tellusque pauet conuulsa tonantem,*

*Exercet miseranda fames, morbique laborque,  
Pondere sub nostro assidue culpaque gementem:  
Seu cum purpureus toto de corpore sudor  
Dimanat, tristesque Acheron horrore tremendo  
Mortis in aduentum gelidae, perlabitur artus,  
Et totum iam nunc animo praegustat Auernum.  
Praecipue, cum terram inter coelumque profundum  
Sublimis, latus effossum, squallentiaque ora,  
Gentibus ostendit pauidis: letoque sub ipso  
Inclinat caput, & stillantem sanguine vultum.*

*Haec crebro repetens animo, crebroque reuoluens,  
Dulcibus indulge lachrymis. vitamque per omnem,  
Illis vulneribus, illoque in sanguine moestus  
Circumerra: mentisque oculis humentibus hauri,  
Ceum praesens, luctantem animam, Diti que necique.*

*Haec inter, veluti venturam ad singula, mortem  
Intuitor. ne quae rerum subrepat inanium  
Cura, vel illecebris blandae capiare iuuentae:  
Oblitusque tui, tantoque oppressus amore,  
Ingentem precibus vitae venerare parentem,  
Aeternamque Dei sobolem: tot saecula frustra  
Patribus expectatam olim, votisque vocatam:  
Cui nec lanigerum manantes sanguine fibras,  
Nec pinguis tauri ardentem suspendere ad aras*

*Viscera profuerit. quamquam alte in cornua surgat  
 Jam primum, crescatque animis. sed pectore ab imo  
 Flagrantes gemitus crebro, & suspiria duci,  
 Erroresque animo repeti, vitamque peractam;  
 Talibus instando, crebroque, eademque monendo:  
 Magna Dei soboles, tibi enim tibi pectora moesti  
 Soluimus, & salsos lachrymarum effundimus imbres.  
 Heu genitor! rerumque opifex! heu patris imago!  
 Heu totum vitae pelagus! totumque profundum!  
 Tene olim, coelo venientem, vrbisque per omnis  
 Brachia tendentem miseris, morbosque fugantem,  
 Et Regis tantum aetherij praecepta canentem,  
 In terris, leto dedimus? tene, optime, cum iam  
 Vulneribus tergum effractus, flagrisque cruentus,  
 Deficeres, nostrosque artus, ceu pignora supplex  
 Ingereres nequicquam oculis, diuellere ferro  
 Humanae potuere manus? at territus aether  
 Haesit, & obscena latuit caligine Titan.  
 Tunc etiam dulcem mixto cum sanguine lympham  
 Reddebas moriens, venturae pignora vitae,  
 Et totum rupto fundebas corpore amorem;  
 Visceribus medijs eductum, & pectore toto.  
 Nos scelerum facies, aeterne, expleuimus omnes.*



*In te poena ruit, nostraeque injuria culpae,  
Et lapso generi mors intentata, per artus  
Exhausta est, inuicte, tuos. ne vita periret  
Omnibus, aut lethi sub mole immota iaceret,  
Plena metu, plena imbelli formidine & vmbris.  
Tu serus, tu mane animis illabere nostris,  
Tu solus totusque faue. te spiritus vnum  
Induat: incumbatque tibi, jam functus & exors  
Casibus assiduis, & inertis corporis vsu.*

*Talia cum gemitu, seu vox exacta sequatur,  
Seu nullus linguae strepitus se didat in auras.*

*Haec adeo, dum vita manet: seu laeta iuuentus  
Corpus agit solidum, seu nondum effoeta senectus  
Exercet toto defectas sanguine vires.*

*At vero, postquam ossa calor jam linquere coepit,  
Ultimus, & leti suprema aduoluitur hora,  
Cum jam haeret lingua infelix, visuque sub ipso  
Dirigere oculi; tum vero, intendere mentem,  
Tum magnos gemitus praesertim, ad sidera volui  
Edico, & totum precibus conuellere coelum:  
Tum mitem versare animo dulcemque parentem,  
Cuius in aeterno fixa est clementia nato.*

*Sentiet omnipotens, & opem, miseratus, anhelis  
Sistet, & attonitis, oculisque offundent ab alto  
Instantis speciem formosam & gaudia vitae.*

*Vnum hoc praecipue, si quae est fiducia vero,  
Et coelo demissa iuuant praecepta, monebo  
Assidue: quantum precibus contendere fas est,  
Posce Fidem, posce intrepidus, certusque potiri.*

*Illam coelicolûm genitor, cum numine terram  
Fundaret, solidumque vndis includeret orbem,  
Edidit, auxilium lapsis in Tartara rebus.*

*Illa polos penetrat, longeque in saecula mittit  
Ardentes transacta oculos, venturaque lustrat,  
Et coeli sequitur tot per conuexa Tonantem,  
Picta sinus, picta vndantem per nubila limbum.*

*Heic genus heroum, coeli quibus atria Diua  
Reclisit, seriem longaeuam a sanguine primo,  
Pectine sollicito, multaue intexuit arte.  
Stant terni proceres, stat magno foedere nixa  
Progenies, totum terrae promissa per orbem,  
Stellarum similis. stat torua Aegyptus, & omnes  
Sudorum facies, & foeda incommoda regis.  
Et iam seruitium pertaesa, & triste tyranni  
Imperium, coelo armata & famulantibus Euris,*

*Ibat laeta acies. Heic atram incumbere nubem  
Fecerat ordinibus: medioque ex aëre, flammae  
Fulgentes radios pulchrumque albescere lumen  
Nocte sub obscura. Iamque illos gurgite in ipso,  
Instantum immemores, medijsque incedere in vndis,  
Cernere erat. dabat egressum fugientibus aequor,  
Et sponte immensos sternebant aequora montes.  
Nec longe Debora, & Gedeo, & formosus Iephta,  
Incedunt, humeris conspecti, & pectore lato:  
Omnes pollicitis vatum, virtutibus omnes  
Inuicti, monitisque animos ingentibus acti.  
At natus Manua, spaciosa in valle leonem  
Connixus dextra illidit, tergoque reuulsas  
Murorum portas & ahenos sustinet axes,  
Rupis inaccessae, aut frondosi culminis instar,  
Intonsus, setisque rigens immanibus heros.  
Nec procul hinc tactum Iordani interritus amnem  
Insistit senior. quem turbo abruptus in altum  
Mox, & candentes rapiunt super aethera bigae.  
Illum caeruleas afflatu accendere nubes  
Cornipedum longe aspiceres, comitemque per auras*

*Brachia iactantem nequicquam, & vana mouentem.  
Nec non & iuuenes, primaeuae robora pubis,  
Oblitos leti, flamma in fornacibus ingens  
Lambebat, perque ora viris & eburnea colla  
Hinc inde errabat paulatim innoxius ignis.  
Atque heic porticibus subnixam, & mille columnis,  
Praetextam cedro molem, ad fastigia summa,  
Instabat Solyme venturo attollere Regi;  
Templum, immane, ingens, pulchrisque Orientis amoeni  
Conspectum donis, & barbarico elephanto.  
At vates, vnum attoniti, visisque subacti,  
Vnum omnes, defixi oculis animisque, tueri.  
Illum autem, qua parua iacet despectaque Bethle,  
Et requies pecori, & pecoris dilecta magistris,  
Ignotum terris, nec quicquam tale minantem,  
Vbera siccantem in gremio materna videres.  
Quem senior, multumque animo rimatus, & ante  
Venturum edoctus generi, quam lumina vitae  
Linqueret; exanguis iam aeuo, accurrensque, tremensque,  
Protendensque manus ambas, arctequae prehensum  
Vociferans premit, & lachrymis affatur obortis.*

*Parte alia, tenues animae, vitaeque silentum,  
Emergunt tumulis, quas vox emissa, sub auras  
Elicit, & turpes discedunt corpore morbi.  
Tantus honos, magnae tanta est fiducia Diuae.  
Ipsa aeterna sedet, summoque intenta parenti,  
Haud vnquam immotos declinat luminis orbes,  
Praesentemque videt: genitumque ante omnia natum  
Saecula, nec nostro meritum succumbere leto,  
Toto ardet versatque animo, totoque reponit;  
Iam vitae dominum, nil jam mortale tenentem:  
Nec jam humiles, vt quondam, artus, aegrosque trahentem,  
Sed nostros tamen &, nostro cum corpore, longe  
Praeuectum strepitus, & victi limen Auerni.  
Cui simul incubuit, roseisque infusa lacertis  
Pressit adoratum coelo caput; omnia late  
Nubila discedunt, tristisque e pectore cura  
Vanescit, letique cadit densissimus horror.  
Non aliter, cum blanda tenet clementia terras  
Aëris, exactisque simul cum nocte tenebris,  
Formosum parat Eous sustollere vultum,  
Et Solis iam venturum praenunciat aurum;  
Vix summae nutant segetas, summoque recidit*

*Littore, nec canis indulget fluctibus aequor.  
Illa etiam, quanquam flamma stridente per artus,  
Respicit innocuos, tutaque in pace reponit,  
Et totum morte in media deducit Olympum:  
Quantus erit, quantusque animos caligine pulsa  
Excipiet, fessae statio suauissima vitae.  
Illam autem insequitur laeto spes candida vultu,  
Et sublimis Amor. quem coeli examine, nullae  
Formarum facies, aut pulchri auertit imago.  
    Quid tantum dilecta suis promisit alumnis  
Porticus, aut Stagira potens attollere vero  
Pectora, vicinoque senex collatus Hymetto,  
Dulcior eloquio percultas flectere mentes?  
Quantus Elysios depingat plurima campos  
Phaenaretae soboles, solique incumbat honesto,  
Nec leti nequicquam animis instillet amorem;  
Multa canes, quae nec diuina oracula vatum  
Non cecinere prius. Sic, cum vestigia lustrat  
Densa ferae, terramque impressis naribus haurit  
Vestigatque canis, nunc huc nunc vertitur illuc  
Et sese augurio infelix oblectat inani  
Errantis, repetitque eadem, sequiturque relicta  
Exululans: montesque procul campique resultant,  
Et longe, nemore e medio respondet imago.*

*Illa latet, solumque sui diffundit odorem.  
 Namque diu, primum Assyrijs in finibus orta,  
 Aegyptum mox foecundam permensa, Pachynum  
 Contigit, & doctas Sapientia venit Athenas;  
 Larga quidem, multamque trahens e fontibus vndam:  
 Non tamen expurgata satis, nec sordibus expers.  
 Abramidae qualem, prisci gens hospita Nili,  
 Accepisse ferunt, summoque e numine natus  
 Hausit, & in terris diuino prodidit ore,  
 Cui semper tranquilla Fides innixa recumbit.  
 Hanc deposce igitur, votisque ardentibus vrge,  
 Venturisque intende animum, & praesentia temne.  
 Quin etiam, vitiorum odium, & virtutis amorem,  
 Posce frequens. mors impuras formidine carpit  
 Exercetque animas: Furiaeque ora vagantes,  
 Terrifico admonitu taedarum, & tristibus hydri,  
 Supplicia intentant miseris, poenasque minantur.  
 Quas probitas, quas prisca pijs a mentibus arcet  
 Simplicitas, rectique ardor, neglectaque terris,  
 Vda genas, sparsa incultos Metanoea capillos:  
 Visu haud laeta quidem, sed qua non aptior vlla,  
 Aut coeli reserare fores, aut tollere leti*

*Terrorem, moestasque animis abstergere curas.  
Felices nimium, quibus his se iungere solis  
Contigit, & vitae comites assumere tantas.  
His haere, his assuesce lubens, his pectora firma.  
His neque te Musarum Helicon, nec mollia vatum  
Carmina, regalesque epulae, multusque Lyaeus  
Auertat, Somnusque pater, qui nocte sub atra  
Voluitur, & fessos curarum illabatur artus.  
Nec legum tristisque fori sapientia discors,  
Paeoniusque labor: quem nunc male turpis egestas  
Commendat; coelo quondam Phoeboque parente  
Exortum, si vera refert, ambage sub illa,  
Graecia, nil vltra vires mirata decusque,  
Egregiae, dignaeque Dijs autoribus artis.  
Sed neque dulce poli studium, lapsusque tueri  
Aetheris assiduos, & quae simulachra vagantur,  
Aut certis aurata locis immota quiescunt.  
Mittendum est animum longe super aethera, longe  
Aurorae thalamos supra, & laquearia mundi  
Vltima: si leti tibi cura excedere fines,  
Et vitam gustare prius penitusque requiris,  
Ante suo tardi quam cedant corpore sensus.  
Sed neque magnarum properanda negocia rerum.*



*Et quaecunque humiles inuitant praemia mentes,  
Aeterno rege abducant vitaeque parente:  
Aut sublimis honorum ardor, defixaque terrae  
Nunquam expleta fames auri. quantum illa veneni  
Intulit humano generi, quantumque relicto  
In terris animi patitur sordescere coelo.  
Vt cum sepositum teritur rubigine ferrum,  
Neglegectum simul agricolis, & inutile bello:  
Sive hastas iuuat, & volucres armare sagittas,  
Vomere seu duram splendenti inuertere glebam.  
Ergo iterum subigi tellurem iterumque monebo  
Obstantem, tardosque, vt pridem, auertere sensus,  
Vsibus humanis, totamque auertere mentem  
Sensibus: & certis immotam affigere rebus.  
Ex quo deceptos coluber formidine turpi  
Inuoluit, pulchroque hominem non passus in aruo,  
Immunem leti imperio traducere vitam.  
    Illic sub tremulis argutae frondibus aurae  
Assidue suspirabant, & odoriferum ver  
Spargebat tellus, spargebat lacteus aër.  
In medio fons purus aquae, niueaeque videri  
Crystallo similis, formoso natus in horto,  
Quattuor hinc totas atque hinc obeuntia terras*

*Flumina fundebat, latis solatia campis.  
Quippe illinc musco virides, interque lapillis  
Distincti niueis, certabant currere riui,  
Et tutos summo suadere in margine somnos.  
Quarum temperie, madidasque aspergine ripas,  
Herbarum partu assiduo ridere putares.  
Ridebant ripae, ridebat roscida tellus.  
Nec pictae florum facies, cantusque volucrum,  
Vsquam aberant, vall[er]isque cauae, collesque supini,  
Jpsi autem, nullo contacti corda dolore,  
Et vacui curarum, aut circum in gramine laeto  
Plaudebant choreas, aut fontes propter opacos,  
Ignaros operum condebant carmine soles.  
Aut rerum percussi animo nouitate, recentem  
Naturae genium, & magni primordia mundi  
Lustrabant, pictosque oculos flammantis Olympi:  
Quotque dies, tanto surgentem corpore Solem,  
Quantus coelo ardet, flagrantem lampada voluens  
Per spacium mundi immensum, vultumque comantem.  
Nec non & terras animalia sparsa per omnes  
Tum primum, primaque omnes ab origine causas.  
At nimbos segetum, quos terra inculta ferebat,  
Ambrosiae tinctos succo & vitalibus auris,*

*Afflabant Zephyri errantes[,] messemque perennem,  
 Non sulco genitam, non curuae falcis egentem,  
 Et sponte ex ipso manabant aëre mella.  
 Nec minus & multum coelo nemus, arbore densa  
 Surgebat. quarum in medio, pulcherrima longe,  
 Aetherios panaceae imbres, rorisque beati  
 Aeternos latices, nigrae medicamina morti,  
 Spirabat Vitae folijs felicibus arbos.  
 Saepe sub hac, vt fama refert, flagrantibus ambo  
 Inuoluit radijs, & luce ardentis Olympi  
 Majestas vicina Dei, totamque iuuentam  
 Afflabat vox vna, & inenarrabile murmur.  
 Saepe Dei soboles, clara se in luce refulgens,  
 Exhibuit, turba aligerum comitata, per aethram  
 Delapsa, rursusque polo discedere visa.  
 Altera, laeta quidem, blandisque vberima pomis,  
 Quam foeda ingluuie spirisque immanibus ingens  
 Cingebat coluber, Diti sacer. heu quibus ille  
 Perditus insidijs rerumque ambagibus orsus,  
 Impulit, attingi vetitos decerpere fructus.  
 Ex illo, labor insolitus, terrorque, metusque,  
 Inuectumque nefas terris: curaeque, dolorque,  
 Et foeda ignotam traxerunt crimina mortem.  
 Quam supero natus genitore, in faucibus Orci*

*Perculit attonitam, domitoque autore pauentem,  
 Fulgidus exuuijs spolijsque intrauit Olympum.  
 Continuo exorti iuuenes, gens edita coelo,  
 Gens inuicta fide, gens turpis nescia culpa:  
 Quos neque poenarum species neque mortis imago  
 Terruit vlla: nec immiti superaddita leto  
 Saeuities, fractique artus, admotaque flamma  
 Visceribus viuorum, & inundans sanguine tellus;  
 Vt quondam, Superis, vitaeque aduersa parenti.  
 Tantus amor, Ditis domitas perrumpere vires,  
 Et, vitae super astra sequi, regemque ducemque,  
 Protinus inuasit vacuas formidine mentes.  
 Quanquam illum solio formosus continet aether  
 Aurato; tamen & praesenti numine, terras  
 Implentem proprias, coelique e limine pulchros  
 Aspirantem animos. Qualis, cum mille per hostes  
 Elapsus, dux impavidus, stat in aggere valli  
 Victor, & instantes spolijs accendit amicos:  
 Illi autem, neque tela vident, neque sanguine duros  
 Perfundi spargique humeros. dum vita receptos  
 Deserit, inque ipso morientes aggere linqvit.  
 Ipsi igitur, coelo intenti, mortalia supra  
 Extulerunt aciem versae ad sublimia mentis,  
 Venturaeque animo lustrabant gaudia vitae,*

*Assidue; Venerem auersi, licitosque Hymenaeos  
 Saepe etiam, castaeque domus solatia natos.  
 Pars quippe in solis ducebant montibus aevum,  
 Et nemorum spacijs, aut per deserta viarum  
 Errabant, exosi homines, saeuosque tyrannos  
 Vitantes, structosque dolos, rabiemque nocendi;  
 Tuti inter latebras tantum, & spelaea ferarum.  
 Pars tumulos inter monumentaque luce carentum,  
 Quos idem addiderat coelo pulcherrimus ardor,  
 Fortem exercebant animum, letoque parabant.  
 Pars, quanquam populi in medio, turbaque piorum  
 Instantem veluti versabant pectore mortem  
 Assidue, vitae immemores; corpusque domabant  
 Terrarum exilio: delictaque moesta luebant  
 Diluuio lachrymarum, actoque ad singula luctu:  
 Infandamque necem pendentis ab arbore Regis  
 Insculpti impressique animos. sic relinquere terras,  
 Et veram soliti moriendo invadere lucem;  
 Ardentes velut effuso prorumpere cursu,  
 Si quando exigeret saeua inclementia vitam,  
 Aut rerum genitor collapsos solueret artus.  
     Primus ab excussa gelidi formidine leti,  
 Morte Deo geniti, subito discedere coelum*

*Saxorum quanquam in medio nil territus imbre  
 Isacides vidit juvenis, natumque parenti  
 iam junctum, dextraque simul de parte micantem.  
 Ille quidem, primusque tulit certusque, coronam  
 Infignem, fulgentem auro gemmisque coronam,  
 Inscriptusque polo legitur radiantibus astris.  
 Hunc alij, rursusque alij mox deinde secuti,  
 Flammae instar: quae sponte sua petit aethera magnum,  
 Exorta aut nigro in nemore, aut in culmine montis,  
 Vestiti circum arboribus. volat illa per auras,  
 Restingui indignata. licet cum fontibus omnis  
 Vndique & agricola, & curvus concurrat arator?  
 Vnde viris vis tanta? vnde hic in mentibus ardor,  
 Nec blandis vitae illecebris, nec cedere morti?  
 Sola Dei praegressa viam certissima proles,  
 Victores animos, coelique affluit amorem,  
 Immotamque fidem. qualem neque Tartarus ater  
 Excutit, aut mortis vis importuna minantis.  
 Ante etenim aduentum geniti bis regis, & ante  
 Humanae quam foeda Deus contagia labis  
 Abluit, & misso lustravit pignore terras,  
 Haud frustra aeternam spondebant omnia mortem.*

*Nec quicquam ante oculos, leti nisi tristis imago,  
Astabat, maestoque Acheron horrore premebat,  
Desertas Superis animas neglectaque corda.  
Quorum atrox, immensum, atque insuperabile pondus,  
Missa Dei soboles, fessa ceruice gementum  
Abstulit, & trunco moriens suspendit ab alto.  
Haud secus, ac si quis connixum corpore toto,  
Curuatumque artus Atlanta, humerisque tenentem,  
Ingentes astrorum orbis, onus exuat vltro,  
Et cum sideribus totum subducat Olympum.  
Quin etiam, nostra penitus sub lege teneri,  
Mortalesque haurire auras dignatus, vt omne  
Depressum tenebris, pridemque in Tartara missum,  
Erueret leto genus, & pallentibus vmbris,  
Morte sua, gentemque aliam, noua pignora, tellus  
Tolleret, immemorem scelerum, letique pauorum.  
Heu amor! heu inuicta fides! jacet altus Olympi  
Rector humi, nostroque vltro se corpore cingit,  
Et tantum haud vllam patitur de corpore sordem.  
Quin etiam, coelo ignarus terraque teneri,  
Dilectae sedet in gremio genitricis, & ore,  
Quo nubes, pelagique iras, ventique remittit,  
Oscula materno partitur dulcia collo,*

*Virgineisque genis. illi pudor aemulus igni  
 Eoo, vultumque horror demittit honestum,  
 Et tacitus stupor, & magni reuerentia coeli.  
 Nam quis te, puerorum o formosissime, nostras  
 Speret adire domos, moribundaque sumere membra,  
 Et vitam hanc, leti sub conditione, pacisci?  
 Nate Deo, quis tantus amor, quae tanta lubido,  
 Humanum seruare genus: vt inhospita terrae  
 Et nostro indignam nasci de sanguine gentem  
 Respiceres, antrique ignota in parte jaceres?  
 Tene ah sustinuisse decem fastidia mensium  
 Inclusum materno vtero? ten sanguine multo  
 Turpatum, triste[i]sque genas, coelestiaque ora,  
 Excelsum statuisse atra de morte trophaeum?  
 Jamque tibi pecudum vigiles ante omnia cingunt  
 Pastores, tuguri exiguum, & penetrabile culmen  
 Immiti Boreae, matutinaeque pruinae,  
 Paruaque dona ferunt, cernuntque in limine primo  
 Insolitos coeli thalamos, & virginis aureae.  
 Atque vtinam vestri, o pueri, pars magna laboris,  
 Seruassem pecudes, pecudes in finibus ijsdem  
 Seruassem: Lycidasque aliquis, vel pauper Amyntas,  
 Insomnes illo duxissem tempore noctes.*



*Victori certe vmbrarum letique futuro,  
 Duxissem viridem circum incunabula laurum:  
 Quanuis tristis hyems, gremio constringeret omnes  
 Arboreos foetus, florem neque panderet vllum,  
 Nec spes aut Hyacinthe tui foret, aut Amaranthe.  
 At de suberibus prompsissem dulcia mella,  
 Aut pressum lac de calathis, quae copia ruris:  
 Aut incomposito certe, quae prima voluptas  
 Pastorum pueris, cecinissem carmine laudes  
 Virgineasque tuasque: nec hinc aut pulcher Alexis,  
 Aut partem Galatea sibi subduceret vllam.  
 At non sidera vasta, Deum nescire fatentur,  
 Angusta quanuis sub paupertate iacentem.  
 Nec tantum potuere, humili de cespite culmen  
 Congestum (quale incultus festinat arator,  
 Horrida cum saeuae circumstant frigora brumae,  
 Indutique humiles abiecti corporis artus)  
 Omnipotens quantum mens, & sublimis imago  
 Aetherij genitoris, & indescripta potestas:  
 Quantum, quae terrasque omnes, pontumque profundum,  
 Et coeli liquidos maiestas sustinet orbis.  
 Iamque domo procul exciti, dictantibus astris,  
 Adueniunt longe Nabathaeo e littore vates.*

*Nec minus aetherij iuuenes, circum vndique culmen  
Exiguum, choreasque agitant plaudentibus alis,  
Et totus rerum artifici descendit Olympus.*

*Nam quanquam, neque Tarpeias bellator ad arces  
Ibi ouans, procul Augusto comitante Senatu;  
Murali neque tormento Mauortia rumpes  
Moenia, nec clusas perrumpes ariete portas:  
At raucum tonitru, quo fractus dissilit orbis  
Terrarum pontusque; tuum est. tu ardentibus astris  
Transfixum, multo percurris fulmine mundum.  
At Boreas tibi seruit, at igni armatus & auro  
Orion: at Pleiades, septemque triones,  
Nocte atra, sedesque tuas & limina seruant.  
At vero, quacunq̄ue pedum vestigia figes,  
Ad tua percussi cessabunt nomina morbi,  
Et caeco Pluton animas dimittet Auerno.  
At te, terribilis leti Ditisque potentem,  
Aërias equitantem auras, nubesque secantem,  
Circum acies fusa aligerûm, atque exercitus omnis  
Coelorum, qui nascenti se iunxerat ante,  
Aeterna euectum Capitoli in sede locabit:  
Excipietque iterum venientem, & nube serena  
Fulgentem, nostrosque humeros, nostrosque lacertos.*

*Tum, simul horrisono fremitu, tua buccina Gangen  
Percurreret gelidamque Helicen, mors tota remittet  
Pallentes populos, & dulci luce carentes.*

*Salve autor, salve omnipotens, qui sanguine nobis  
Effuso patriam peperisti, & munera vitae.*

*Salve ingens leti domitor, quem corpore toto,  
Tertia lux nigris venientem exceptit ab vmbris.*

*Continuo fractam senserunt omnia mortem,  
Jamque triumphatum penitus penitusque subactum  
Audacem colubrum, morti qui vincula primus  
Laxavit, totumque Erebo dimisit in orbem.*

*Hinc, leti immemores, venturo incumbimus aevo,  
Et vitae egressi tenebris, donamur Olympo.*

FINIS.

Σοὶ χάρις υἱε Θεοῦ.

### [Τοιαῦτα τοίνυν τοῦ φόβου παυστήρια]

Τοιαῦτα τοίνυν τοῦ φόβου παυστήρια,  
 Τοῦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐμπεφυκότος,  
 Κεῖσθω παρ' ἡμῶν, τοῖς φιλοῦσιν ἐντυχεῖν.  
 Κοινὸς γὰρ Ἑρμῆς, τῶν δ' ἀπαλλαγὴ κακῶν.  
 Χρὴ δ' αὖ προθύμως, χρὴ δὲ γενναίως φέρειν  
 Ἄφυκτον ὄν τὸ χρήμα καὶ πεπτρωμένον.  
 Ἀπαξαιπλῶς γὰρ ἦδ' ὁδὸς πορευτέα.  
 Ὅυδ' ἐστι τὸ χρήσιον εἰσδεδορκότα,  
 Ἢ λέκτορος φῶς, μὴ πάλιν καταστρέφειν  
 Μοίρης ἀναιδοῦς τὰς πανυστάτας ὁδοῦς·  
 Ὅυδ' εἰ σιδήρω τις κατάφρακτος δέμας  
 Χαλκοκρότοισιν ἐγκαθειρχθεῖη δόμοις,  
 Ἀπροσπέλαστος ὦν, κάμαχητος φύσιν.  
 Οὐδ' εἰ θεῶν ναοῖσιν ἐκρύψας ἔχει,  
 Βωμοῖσιν εὐπέδιλον ἐγχρίμψας πόδα.  
 Τῷ, μὴ φόβοισι μηδὲ δειλίαις λίαν  
 Ἐξασθένει μοι μηδὲ θηλύνου κέαρ.  
 Ὡς ἀστενάκτως ἀτρόμως τ' ἔχειν αἰεὶ,  
 Ἄριστα τὸ ζῆν καὶ κακανδρίας ἄνευ  
 Διατρέχοντας, ὡς γαληναίην ἄλα,  
 Κέρδος φέρειν φάσκοιμι· τοὺς δ' ἄλλους λόγους  
 Ὅυκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς πρὸς τὸ φρονεῖν.

***Svmma doctrinae quae singulis Libris De contemptu mortis continetur.***

**De contemptu mortis liber I.**

Totvs liber primus προθεωρίαν continet Platoniam: sine qua hoc argumentum solide tractari non potest. Quippe, cum mors tantum sit corporis, dandam esse constat in hac vita operam, vt quae pars est immortalis, ea in colenda mente, tota occupetur: objecta ejus, quantum potest fieri sequatur, atque assidue intueatur: ipsa denique, quandoquidem id sumus quod est mens nostra, teste Socrate, rebus omnibus omissis, ad se atque in se reuocetur. Agit ergo liber hic de separatione mentis a corpore & sensibus. Quam Plato, mortis in hac vita principium dicebat. Quae vt recte instituat,ur,

Habendam diligentem rationem, vt ab

ineunte aetate, viri praestantes & ab omni improbitate alieni, puerorum educationi praeficiantur.

Quos vel ideo ab omni vitiorum contagione alienos esse oportere, ne puritatem animi, alumni sibi crediti, a teneris inficiant, & diuinitati ejus, contemplando, perpetuo vacare assuescant. Vtque omnibus sepositis, de sublimitate animi, deque autore eius, qui est Deus immortalis ac aeternus, cogitent. Ac inprimis,

Illum ex traduce non esse, neque a corporibus & cum illis generari, sed a Deo inspirari.

Non esse corporeum, neque ex elementis mixtum, neque vllum denique eorum corporum, quae vulgo elementa dicimus.

Idque vel ex eo constare, quod futura videat, praesentia intelligat, tot praeclaras artes atque disciplinas excogitauerit. Eum enim esse, qui humanam vitam ab initio formauerit, instruxerit, in ordinem redegerit. Quo-

rum vis neque in quinque illis conspicitur corporibus, neque in ijs quae ex illis componuntur.

Atque idcirco, neque Solem aut Lunam, magna illa corpora & lucidissima, neque stellas cuiuscunque ordinis aut loci, multo minus, mare aut terram, cum praestantia illius, conferendam esse.

Diffundi autem ita late, vt nec ab aëre, neque ab ipso aethere, circumscribatur, sed haec omnia cum meditatur transcendat: ac imprimis cum ad Deum a quo ortus est ascendit.

Hoc praestare non posse, nisi in se abeat, nisi curas reliquas abieget, nisi auaritiae, ambitioni, reliquisque vitijs renuntiet, nisi sui juris sit, nisi imperium in eam partem, quae vocatur ἄλογον, sibi vindicet, nisi se ab omni perturbatione vindicatum includat sibi, nisi mente penitus fruatur. quae est flos quasi animi, & in suprema parte, tanquam arce quadam, collocata. cum praesertim anima

per totum corpus diffundatur: mens autem quo longius a corpore recessit, eo longius [a] mortalitate & corruptione absit.

Ideo, dandam esse operam, ut crebro rebus magnis intendatur, & imprimis sibi: ut sensus subjiciat, & ab illis quam longissime se segreget: ne cum operatur & praeclaris cogitationibus intenta est, deorsum retrahatur, aut mortales curae, a quibus isto modo quam longissime abit, rationem operantem interturbent.

Quia, quoties hoc modo sibi vacat atque in se reflectitur, longissime a metu mortis, paupertatis, atque ipsius fortunae violentia ac potestate abest.

Idcirco Platonem, talem vitam, mortis principium dixisse, siquidem a corpore paulatim ea ratione abducitur, humanas res excedit, vsu denique omni corporis se abdicat. Adeo, ut qui in hoc statu moriuntur, sine sensu mortis e vita abeant, & quietem hanc suavissimam, cum morte continent. quod de Archimede, & alijs nonnullis, fertur.



Hanc esse illam quam in terra Socrates professus est. qui hoc vnum toto vitae tempore egit, vt domaret sensus, excitaret animum. Qua occasione, longa de laudibus atque instituto eius παρέκβασις inseritur, ac praecipue de ejus pulchro. quod est proprium animi a sensibus separati obiectum, & legitima ad mortem praeparatio.

Ejus igitur exempli, curandum esse, vt a rebus omnibus mortalibus, imprimis vero sensibus, mens abducatur. vt in ordinem auditus, tactus, gustus, olfactus, & ante omnes, visus, cogatur. Qui praecipuus satelles atque ianitor, ad mentem omnia transmittit, & plerumque falsas illi inserit opiniones. cum non raro & caeteri, & ipse, omnium certissimus, decipiantur ac decipiant.

Quorum vitio aut errore, primos homines, maximeque antiquos sapientes, qui poëtae fuerunt, multa persuasisse hominibus quae falsa sunt. Vt cum Iridem, non tantum admirati sunt, sed & Deam finxerunt esse, sine cujus ministerio, nihil inter Deos geritur. Quam

tamen constat, nihil aliud esse quam φάσμα diversorum colorum, ex radiorum solis reflexione in oculos incurrens.

Id si euenire potest visui, multo magis reliquis quoque euenire posse sensibus, qui longe imbecilliores atque incertiores sunt.

Hinc amorem & spem, similesque perturbationes, quoadmodum & falsas de religione opiniones, quae terrarum orbem peruagatae sunt, sed imprimis, de quo agimus, terrorem mortis esse natum. Quae nisi expugnentur a teneris, nisi mens a sensuum contagione ac persuasione abducatur, fieri non posse, vt vllus veritati sit locus. eam enim solam esse quae videt, solam quae adit, solam quae non fallit. Solam, quae, vt Plato loquitur praeclare, ἀπὸ καθ' αὐτὸ ἕκαστον ἐπιχειρεῖ θηρεύειν τῶν ὄντων, imprimis, ἀπαλλαγείσα ὅτι μάλιστα ὀφθαλμῶν τε καὶ ὠτῶν, καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, ξύμπαντος τοῦ σώματος, ὡς ταραπποντος, καὶ οὐκ ἐῶντος τὴν ψυχὴν κτήσασθαι ἀλήθειάν τε καὶ φρόνησιν, ὅταν κοινωνῇ.

Ea autem quantum possit, cum à sensibus, ac praecipue a visu se sejunxit, nun-

quam apparere magis quam nocte. Nunquam enim firmius in se recedere, atque ibidem haerere, quam cum nocte intempesta meditatur. Quia eo tempore omnia externa sensuum objecta, ac praesertim visus, sun[t] sublata. Non enim coelum formas suas oculis insinuare, non terram. Solem quoque, qui illustrat omnia, absentem quasi agere: neque quicquam auribus tum obijci, quemadmodum de die. Quae vt infinita sunt, ita infinitis modis mentem perturbare. Ejus autem in se penitus defixae ac conversae, voluptatem esse tantam, vt excogitari nulla in hac vita possit, quae ad partem aliquam accedat.

Eandem, vbi sola sibi vacat, & versatur. secum, excitari magis sui desiderio ac inflammari: sensus autem contra, vitae desiderium & corporis amorem inducere, cum in consilium & partem cogitationum adhibentur.

Certum autem esse, sicut inter sensus, visus est certissimus, sic quae non videntur,

esse certissima ac praestantissima. Ex quo sane apparet, quanto ea quae sentiri non possunt, dignitate ac praestantia, sensuum objecta excedant. Qualis est virtus, sapientia, ac ipse Deus immortalis.

Hoc euincere ipsam mentem, quae ut est pulcherrima ac praestantissima, ita & natura sua ad pulcherrima, se & Deum nempe immortalem, ferri. Quod autem contra agere videtur, non ab ipsa, sed a corpore esse ac sensibus. Quibus, teste Socrate, non aliter quam clavis pertinaciter affixam haerere. Vnde ingens ille mortis horror. Quos ut suo munere fungatur, reuellendos esse. Nam ut elementa singula, alia sursum, alia deorsum tendunt, ita animum, adinstar ignis, sursum semper ferri. Qui in alieno loco & non suo, frustra nunc constringitur. Ut si terra in aëre, ignis in terra, contra naturam, cohibeatur. Extra quem vere viuet, quia per se viuet. neque horrore mortis commouebitur, quia horror ille proficiscitur a sensibus: tum & mori discet, quia mors, est, corporis atque

animae, quae inter se cohaerent, separatio. Quae hac ratione discitur atque exercetur. Atque haec quidem prior pars, & quasi via, qua ad solidum contemptum mortis peruenitur.

Altera est, vt ipsa mens nostra, postquam sic a sensibus est separata; cum obiecto suo coniungatur. Quod est Deus.

Atque eam quidem eo per se quidem ferri. Hic vero iterum obstare corpus & tellurem, coelo inimicam. Quae cum inter nos & animae obiectum, interjecta sit quasi maximamque hanc lucem intercipiat, non minus animam ab ejus sordibus purgandam, quam a lolio purgatur tellus. Quare, idem faciendum quod fit ab agricolis: euellenda atque extirpanda esse omnia corporis vitia, vt mens ad obiectum suum libera assurgat.

Huic rei imprimis conducere vitam sobriam & simplicem, atque ab omni luxu remotissimum victum. qualis ibi praescribitur.

Nihil quippe magis animum a mortis contemptu & objecto suo separare, quam ciborum luxum & ebrietatem.

Quippe si animus, cum plane suae spontis est sibi que totus intenditur, quanuis in re leui occupatus, (qualia sunt minora quaedam studia, de quibus supra dictum est) reliquorum obliuiscitur, nec viuere se meminit; quanto magis cum aeternas formas, & objectum immutabile amplectitur, & quicquid extat in hoc orbe, praetervehitur?

Extra quem, solus Deus est, idem qui vbique est; simplex, non compositus. Qui occurrit ei, & sublatam secum extra omne illud quod mutatur aut interit, hoc est, extra mortis regnum & interitus, in quo versamur dum hic sumus, reponit.

Hanc esse primam voluptatem hujus vitae: pignus autem certum, & quasi tyrocinium ac rudimentum futurae. Vt nimirum mens purgata, Deum cogitet, & quantum potest fieri, intelligat.

Hunc illius scopum, hoc illius centrum esse, in quo consistit.

Quo ut perueniat, iterum, quod ante dicebatur, agendum esse. Etenim quemadmodum mens nostra separanda est a sensibus, ut tam nobile objectum intelligat: ita Deum ut intelligatur, ab humanis rebus separandum esse. Hoc autem fieri, primo quidem ἀφαιρέσει: hoc est, si ab eo separetur quicquid proprium est hominis, & vicissim ipse ab ijs segregetur. Exempli causa, si corporeum, mortalem, genitum aut factum, negemus.

Deinde, si ab elementis quoque & corporibus e quibus cuncta constant, eundem segregemus: denique hoc toto vniuerso, tanquam veste pulchra atque admiranda, ut Platonici loquuntur, eum exuamus. Quia ex his nihil ad essentiam illius pertinet: simplicitatem vero, etiam inuoluit. Quae simplicitas, semper, & ante omnia, in Deo statuenda est, quia contrarium eius maxime cum Deo pugnat. Ideoque non immerito Theologi, inter attributa Dei, primo

omnium occurrere simplicitatem docent. quia ipse in nullo continetur, sed totius entis est principium.

Atque hinc sensim ad perfectionis ejus attributa perueniri: quale inter caetera, omnipotentia atque infinitudo ejus est. quae respectu temporis, aeternitas, respectu loci, immensitas vocatur. Nam de vita quae in Deo est, qui primum viuens recte dicitur, infra agitur, vbi de aeterna generatione Filij.

In quibus Dei attributis, quia plus periculi est situm quam in reliquis, conijciendos esse oculos in eum, qui proprietatem Dei & naturam nobis, quatenus cognosci eam fas aut necessarium existimauit, abunde exposuit. Deum nempe filium, qui cum esset vera imago Dei, & aeterni pulchri, ipse Deus, & cum patre ipsum pulchrum, nostro corpore indutus ad nos venit.

Quem cum Deus Pater in se, hoc est sapientiam suam, ab aeterno conversus, quanuis modo prorsus ineffabili genuerit, vel ex eo app-



rere, quam sint actiones illae nobiles, quas ἐμμενούσας vocant. Nam vt intellectus noster parit rationem, sed in tempore: ita Deum Patrem, ante tempus rationem genuisse, sed aeternam, quae est Filius.

Cujus beneficio, & trinitatem personarum, salua vnitate essentiae, ad quae mens nostra per se frustra aspirabat, didicisse.

Vt & maximum arcanum illud, Mortem sanguine ejus qui non interit, & ab aeterno in aeternum viuuit, extinctam esse.

Hunc autorem esse omnium quae viuunt, autorem omnium quae sunt, cum ex intuitu sapientiae suae omnia creauerit Deus. Etiam hominem; in quo anima & corpus hypostatice vnita sunt. Ita tamen, vt in ista cum sit forma hominis, non huius tantum vitae quam nunc ducimus, verum multo magis semina futurae ac igniculi contineantur. qui cum ipsa sibi jungitur, eliciuntur. Id vel ex eo planum esse, quod cum ipse videt se atque intuetur, admiranda gignit opera.

quales sunt doctorum meditationes, quae ad omnem transmittuntur posteritatem. Id autem eo fieri, quia animus humanus, nihil maius aut excelsius in terris, se, complecti potest, ne si aut in ipso Sole aut sideribus versari queat. Hoc testari hominum magnorum cogitationes, quoties in sese intuentur, & a corpore recedunt. Qualis nobilissimus ἐνθουσιασμὸς ille in Platonis Phaëdro: cuius initium, *Magnus in coelo Iupiter*, &c.

Hoc opus, nempe assiduam obiecti contemplationem, primum esse ac maximum, quod in vita fieri a nobis potest. non tantum, quia quamdiu mens intenta sibi manet, nihil cum morte corporis commune habet, sed & quia in suavissima ac sibi propria ipsius pulchri contemplatione versatur. Quo omnium animi sua sponte rapiuntur. Amorem enim pulchri, siue illius quod est tale, siue quod videtur, efficaci ratione omnibus esse insitum. Quod inductione longa ostenditur. Illius enim causa, omnes nauigare, militare, terram fodere: omnia denique omnes agere.

Pulchrum autem quanuis proprie ad intellectum, bonum ad voluntatem referatur, tamen pulchri nomine vtrumque hic significatur, quemadmodum fit a Platoniceis. Et inprimis a vulgo. qui objectum voluntatis, quod hic autor notat, cum objecto intellectus, non confundunt modo, sed & praeferunt, atque ad bona σχετικῶς sic dicta, a simpliciter bonis, ac simpliciter pulchris, & praesertim ipso pulchro non creato, cogitationes suas transferunt. Aut ad actiones, quae sunt extra intellectum, deflectunt. Quales sunt qui in Rep. versantur.

In eo enim falli omnes, quod in opibus nonnulli, nonnulli in honore, alij in sobole & propagatione sui generis, id positum existiment.

Quam viam dum insistunt, & in hoc sunt toti, vitam aliud agentibus tanquam somnium elabi. Interim instare mortem, a qua nihil mirum si plerique imparati praeueniantur, cum de ea neque cogitarint vnquam, neque mori didicerint: quod fit, cum mens

ipsa in se abit, & in pulchri contemplatione, cuius semper post hanc vitam particeps futura est, exercetur.

Nunquam enim minus sollicita de morte esse potest, quam si extra ius mortis ipsa se reponat. Hoc est, menti det operam: quam, ex omnibus, quae orbis habet, orbi vniuerso omnibusque rebus quas mors sibi vindicabit, superstitem futuram esse.

Non enim terram, neque mare, neque coelum, neque quicquam quod nunc admiramur, aut cui totis sensibus affixi haeremus, ab interitu & igne cui omnia seruantur, immune futurum. Qua occasione, horrenda illa ἐκπύρωσις quae vniuerso imminet, describitur.

Qui ergo ea ratione qua jam dictum, viuere didicerit, opus inchoabit, quod mors ipsa perficiet. Nam & contemplationem illam animae absoluet, & a toto corpore, quod jam ex parte factum est, abducat mentem, ac tum demum ipso pulchro, cuius

hic contabuit amore, tota atque ex voto fruetur.

Haec est ergo vita illa nobilissima, quam secundum mentem Plato & Platonici dixerunt. qua nihil altius, nihil sublimius, nihil diuinius, dari in hac vita posse docent. Cui vtinam a teneris incumbant homines, & vnum hoc agant; Deo tantum consecrati & virtuti. Longe animo maiori ex hac vita excederent, longe dum hic agunt alijs incumberent, neque, quod nescire nunc videntur, ignorarent, tanti esse quemque quanti est cuiusque animus. Quare hoc totum quod hic viuitur, huic vni impendendum esse, post autorem eius a quo fluxit.

Quod cum Plato intelligeret, summam hominis felicitatem, in solutione animae a corpore, & eorum quae reuera sunt, contemplatione, collocandam censuit. Quia autem qui sic viuunt, soli discutunt mori, soli mortis dum hic viuunt studium exercent, (soluunt enim animam a corpore, dum viuunt, vt aeterna contemplentur) ideo ille

idem, nihil aliud philosophiam, quam, solutionem animae a corpore ac separationem, esse dixit. neque aliud philosophi, qui vere sit talis, munus esse, quam quod in Phaedone dicitur diuinitus, vt omni ratione a corpore sejungat animum ac purget, eumque continenter assuefaciat, vt totus in se congregetur ipse & quasi colligatur, secumque, quantum potest, habitare, tam in ista vita quam post illam in futura, solus, & a corpore non secus quam a vinculis solutus, meditetur. Adeo vt idem velit esse mortis meditationem, & philosophi studium. Estque haec doctrina, non modo apex, sed & compendium totius Platonicae. Quae nihil docet aliud quam viuere vt oportet, & quemadmodum oportet mori. Ideoque neque est ἀδύνατος, vt Stoicorum, sed exercitatione crebra comparari & potest, & a magnis saepe viris, comparata fuit.

**Lib. II.**

**P**Ostquam libro primo fuisse demonstratum est, quomodo a corpore in hac vita animus soluendus sit ac morti praeparandus, libro altero, diuersae adferuntur rationes, quae terrorem mortis, dum hic viuimus, imminuunt, & inuictam animo securitatem contra hanc necessitatem praestant.

Primo, saepe cogitandum esse, Totum illud quod ab aëre ambitur, casibus diuersis ac Fortunae esse obnoxium. Quae in potestate quamuis Dei immortalis sit, neque quicquam sine eius prouidentia geratur, & ἀτοματισμὸν ponere in natura, Christiano sit indignum: tamen homines cum plurima non assequantur, quicquid praeter rationem euenit, & cuius causas non intelligunt, hoc vocabulo indigitare.

Eam autem sicut ipsam vitam quam hic ducimus, omne calamitatum ac miseriarum genus comitari: vt & paupertatem, laborem, famem, infinitos morbos ac dolores.

In hoc miserando loco, simul homo, animal diuinum, & quod coelo ortum suum debet atque originem, a natura exponitur; statim manifestum esse, quantam sibi fieri injuriam existimet. quod in ipso vitae limine, cum multis lachrimis ac flebili vagitu, nasci se inuitum testetur.

Postquam autem aliquantum adolevit, quo nobiliorem ac sublimiorem est sortitus animam, eo magis corpus detrectare, tanquam onus mente indignum. contra autem, animas abjectas, corpori haerere, vt suo: neque vllis aut calamitatibus, quae singulis eueniunt diebus, injurijs fortunae, aut doloribus, adduci posse, vt amplecti illud desinant, aut ad portum aspirent.

Quare, vt ignauus ille leti terror, qui exercet plurimos, fugetur, atque in eius locum pura animi tranquillitas succedat, crebro de miserijs, vitaeque huius calamitatibus, cogitandum esse. Quae tam sunt in promptu, vt inuitis etiam occurrant.



Istis autem neminem defungi, nisi qui in locum meliorem sit translatus: in quo solida omnibus parata est libertas. Ad quam magnae animae festinant. quibus nihil aequae est curae, quam ut tota mente uti possint. Cui rei jam superiori libro praeparati fuerant.

Ante omnia, adversus mortis terrorem, animum virtute muniendum esse. Inprimis fortitudine & constantia. Quas suppeditare partim antiquorum scripta, partim maximorum hominum exempla. tam qui nostra quam qui patrum memoria vixerunt.

Inertes vero atque imbelles, qui ad ipsam mortis mentionem, horrent, aut immodice ereptos lugent, tanquam pestem aut contagionem publicam, vitandos esse.

A quibus, Schytas quosdam quam longissime ac Thracas abesse: qui nascentes lugent uti fama fert, ac plangunt: morientes autem laeto prosequuntur omine, ac felices vocant.

Videndum quoque, ut Poëtarum scripta

cum iudicio legantur: & imprimis quae de inferis ab ijs commemorantur. Quibus abstinere erit melius. Siquidem ingenitam omnibus mortis formidinem, falsis opinionibus stabiliunt: animos horrore vano implent: laruas & terrorem pueriliter insinuant. Quod, Homeri praecipue exemplo confirmatur. Qui Achilli, indignos tanto heroe gemitus ac lamentationes, apud inferos tribuit.

Eos quoque, quam diu hoc agitur, vt animus attollere se discat, supraque omnem mortis metum assurgat, melius non tangi, qui amores suos celebrarunt. Quod virtutem animi & neruos viriles, quibus cura mortis infringitur, emolliant.

Longe melius Socraticos sermones, quouis melle dulciores, & suauiissimas Platonis disputationes, legi.

Longe melius excelsis masculisque Stoicorum placitis incumbi. qui nihil turpe, nihil metuendum esse docent, quam quod a

virtute alienum est. In reliquis sequendam naturam esse: non aliter quam stellae, & quaecunque in hoc magno mundi theatro, si ne metu aut terrore feruntur quo iubentur a natura: nec secus mortem esse excipiendam, quam defectum Lunae, aut Solis, aut telluris motum, & similia. quae invitis quoque nobis fient, si timeantur: si non timentur, tranquillis & securis.

Ab his esse magnum illud monitum, quod maxima cum cura animo sit infigendum, Metum mortis a natura non esse, sed ab opinione. Quia, quicquid a natura est, eodem modo in omnibus & semper, se habet. Sicut ignis vrit semper, & omnes. Mortem vero non ab omnibus timeri. non enim aequae a sapiente & stolido: non a Socrate, & quovis e plebe. Quare a natura non esse. Ideoque expugnari posse.

Neque sine fructu virum sapientem, magna ac robusta Stoicorum intueri exempla. Catonis puta & aliorum. quatenus nimirum, vitam magno animo contempsit, libertatem

praetulit seruitio, dolorem denique animo subiecit. Nam haec mentem sine dubio ab omni ignavia abducunt. Nisi quod exemplum non est absolutum. atque idcirco non imitandum. Quatenus nimirum idem est qui mortem pertulit constanter, & qui eam sibi intulit. Quod nec Christi domini philosophia, neque ipse Socrates admisit. Qui, ἀτοχείριον, in Phaedone, vt indignam sapiente, prorsus damnat. vetatque, non iubente summo vitae duce atque autore, hac praescripta statione quenquam egredi. Quemadmodum & illi magis sapere videntur, qui affectus suos rationis imperio subjiciunt, quam qui eos penitus cum Stoicis, delendos esse putant. cum victoria quae ducitur ab illis, solida sit viri sapientis gloria: vbi autem nemo subjugatur, ibi ne victoria sit quidem.

Praestare idcirco, ex historijs tam Graecis quam Romanis, maximorum hominum exempla peti, qui inuicto atque immoto animo, patriae ac libertatis causa ceciderunt.

Tales apud Graecos Othryaden, ac Thebanum Epaminondam fuisse. quorum alter, cum caesis Argiuorum trecentis, ac Spartanis totidem, solus superstes, diu graui vulnere saucius inter cadauera latuisset, tandem hoste spoliato, suo sibi sanguine inscripsit, SE VICISSE: atque ita expirauit. Alter victoriam jam consecutus, postquam saluum esse intellexit clypeum, magno ac lubenti expirauit animo. Romanorum autem prope infinita esse exempla: qui cum hoste nunquam pro patria videntur dimicasse, quin trophaeum pariter de illo ac de morte erigerent. Quia hanc cum illo, contemnendo, superarent.

Nihil vero aequae conferre, quam si saepenumero in anteacta tempora convertatur animus, ac diligenter secum quisque cogitet, qui quantique viri partim olim, partim nostra tempestate extiterint, quibus omnibus, eadem necessitas nobiscum fuit subeunda. Siue ij militari gloria ac robore, siue, eruditione ac sapientia, excelluere. Quales quidam recensentur, quos tum prisca, tum haec

nostra tempora, dederunt. Quod quidem minus esse mirum, cum tot potentissimae Respublicae, tot vrbes atque regna, & inprimis, vrbs aeterna, Roma illa vetus, illa potens, illa nobilis, hoc tempore in ruinis suis, instar maximi cadaueris quaeratur, nec inueniatur tamen.

Inprimis vero & prae caeteris, non parum in hanc rem fore, si quis saepe ac diligenter secum cogitet, quot & quales olim vel habuerit amicos vel extulerit: quoties alicuius causa luxerit: quot amicis sensum sit orbatus. Tum si singulorum virtutes saepe percurrat: consuetudinem eorum, mores, gestus, saepe sibi ponat ante oculos & quasi repetat. Ea enim ratione fore, vt ab omnibus desertum se intelligat, tandemque, quod tam multis euenisse videt, sibi aliquando euenire optet. Quem locum, mentione amicorum aliquot quos potissimum dilexit, autor hic illustrat.

Eodem modo, & de fratribus, sororibus, affinibus, parentibus, ac similibus, cogitan-

dum. Non ut inani eos luctu prosequamur: sed quia sic futurum, sine dubio, ut cogitemus, alibi jam eos esse, ubi esse & nobis expediat. vel ne diutius eorum lugeamus hic absentiam, vel ut iterum jungamur illis.

Non enim esse dubitandum, quin sint alibi. nisi si quis pariter cum corpore, exstingui quoque animam existimet. Quod absurdum ac perniciosum generi humano dogma, Epicuro relinquendum. Qua occasione, argumentis aliquot, animae probatur immortalitas.

Quorum primum est, Si mortalis sit anima, totam virtutis rationem eiusque studium, e vita tolli. Quod argumentum, valde a Platonice ac Pythagorice vrgetur. Negant enim, posse fieri, si post mortem nihil jam supersit, quod cognitione veritatis ac virtute exornari possit, ut quis merito, ea quae honesta sunt ac sola expetenda, ut oportet, expetat. siquidem vel sola interitus illius partis ad quam illa spectant suspicio, totum illud studium, quod rebus impenditur honestis,

tollit, atque inutile esse ostendit. Quis autem, aiunt, tam est fatuus futurus, ut non plane obsequatur corpori, modo propter illud conseruetur animus: si praesertim per se non existat, sed certae eius conformationi accedat? Dementem quoque fore, qui virtutis causa corpori renunciaret, si cum corpore ipsa amittenda sit anima. Adeo, ut extincto corpore, nusquam sit futura virtus, cuius studio ac desiderio, mortem subimus. Ideoque recte concludunt, ὅτι οἱ θνητὴν οἰόμενοι τὴν ψυχὴν, περὶ τοῦ προσίεσθαι τὴν ἀρετὴν, κομψεύονται μᾶλλον ἢ ἀληθεύουσιν· hoc est, *eos qui mortalem esse animam existimant, cum de virtute eiusque studio loquuntur, cauillari potius, quam verum dicere, aut ex animo loqui.* Addit Plato, Si mortalis sit anima, frustra dari operam virtuti, quae aut praemium expectat in hac vita, aut in alia, ut idem quoque docet. In hac autem, improbos, ut plurimum, felices, probos contra, miseros ac infelices esse. Ergo, alibi hoc expectandum esse. Post hanc vitam, nempe.

II. argumentum est, Si anima mortalis



sit, nihil ad nos cultum Dei & religionem pertinere, cuius curam feris quoque ac Barbaris, natura commendatam videmus: quam vniuersus gentium consensus, esse necessariam euincit. Eam enim non ad corpus sed ad animum spectare. Hoc enim agere, vt cum Deo eum vniat, & auctori suo aliquando reddat. Quod hic fieri non posse, quamdiu nempe cum impuritate huius corporis luctamur. Ergo alibi futurum.

III. Quemadmodum honorem, ita immortalitatem petere omnes, & praecipue qui reliquis plus sapiunt. Qui cum maxime intelligant quid petant, (nam ab intellectu esse hoc votum) fieri non posse, vt, quod recte ait Thomas, frustra sit hoc desiderium. Ideoque, aliquando potituros eo esse. Sed non hic. Ergo alibi. Post hanc vitam nempe.

IV. Nihil esse anima velocius. Adeo, vt vnico momento, formas omnes subeat & locos. Quae actiones eius, cum diuersae sint a corpore & prorsus alienae, planum esse

foris eas euenire, nec a corpore esse. ideoque & extincto eo, posse fieri; vt recte Aphrodiseus colligit. &, ex consequenti, immortalem esse. Accedere huc, quod omnia quae agit, magis expedite agit ac celeriter, quo magis sea corpore sejungit. Eo enim puram magis esse ac simplicem. Quare fieri non posse, quin ab eo plane separata, magis pura sit futura ac simplex. Sicut ideo non potest solui, quia simplex est. Nam

V. Anima simplex est & nullas habet partes: ergo neque diuidi, & per consequens, solui non potest.

VI. Animam solam, Deum contemplari: solam in his terris proxime ad cognitionem eius accedere. Ergo, nihil illi cum corpore hoc commune esse. Ideoque nec cum ejus interitu. Nihil enim longius distare quam naturam corporis & Dei: facultates animae & corporis. quae per se nullae sunt, sine anima.

VII. Animam in circulum moueri.

Quod idcirco fieri, quia primo mouetur. Quemadmodum & ideo moueri semper, quia primo moueatur. Esse enim ipsam, motus sui causam & fontem. Vbi autem motus fons est, ibi perpetuum esse motum, prorsus [e]sse necessarium. Sicut recte Platonici.

VIII. Nihil adversari sibiipsi posse. Atque animam mortalem esse, naturae ejus adversari, cum ministret vitam, & ab ea sit vita. Ergo falsum esse, mortalem eam esse.

IX. Animam, affectibus, omnibusque corporeis dominari rebus. Ex quo sequitur, esse separabilem a corpore ac diuersam. Et ex consequenti, immortalem. Quod est inter caetera, Plotini argumenta.

X. Bonum omnia conseruat, malum perimit. Si autem nihil mali est quod animam dissoluat, immortalem eam fore. Nihil autem esse, ipsa res docet. Quippe si sit aliquid, necesse aut ex animi natura id oriri, aut oriri aliunde. Ex animi natura non posse, vel ex eo sequi, quod nihil mali sit in ea.

Sin aliunde: aut a corpore, necesse oriatur (quod non potest fieri, cum & incorporeus sit animus, nec cum corpore commune quicquam habeat, ideoque nocere ei corporis nequeant mala.) aut ab incorporeis. Quod multo minus potest fieri. Deum enim, qui est primus inter incorporea, seruare eam non perimere: autorem eius, nempe, & dominum. Reliqua autem, sine eo nihil posse.

XI. Si mortalis sit anima, necesse esse, vt in primum corpus aliquod ex quatuor soluatur. Aquam, nempe, ignem, terram, aut aërem. juxta notum axioma, ὅτι πάντα ἀναλύεται εἰς τὰ γεννητικὰ στοιχεῖα τοῦ ὄλου. At in nullum ex illis solui. Ergo, mortalem non esse.

XII. Falli Lucretium, & alios de grege Epicuri, qui supponunt, corporis partem esse animam. Quo nihil stultius effingi posse. Quod si non sit pars eius, nihil necesse esse, vt cum eo dissoluatur. Idque a simili probatur.

XIII. Nihilo plus esse ponderis in argu-

mentis eius reliquis. Quae omnia ad vnum prope dissoluuntur, si quis inter animam & mentem distinguat, quod quibusdam placet. Nam, quod in consensum trahitur, in morbo, senectute, & ebrietate, mentem esse, non animam. Eam autem nihil esse, nisi eius veluti ministram quandam atque internunciam.

XIV. Doctrinam de immortalitate animae, non tantum esse certissimam, quia ex sacris probari potest, sed & posse ex poëtis, qui sunt antiquissimi doctorum, probari. Omnes enim hanc ὑπόθεσιν in omnibus substernere ac tenere immotam, eique superstruere quaecunque tradunt aut commemorant. Cur enim defunctorum animas Vlysses ac Aeneas perlustrant ac describunt, si cum corpore extinguuntur? Cur Orestes matris vmbra metuit, quam esse jam extinctam non ignorat? Denique, quare tanta cura, iusta & inferiae soluuntur mortuis, vt praesentibus conferri ista videantur, si post corpus nihil restat? Iterum exemplo sit Ae-

neas, qui impensas tantas in certamina & ludos facit, cum Anchisae, si Maroni credimus, parentat?

Verum, vt ad rem redeamus: si frequenter de amicis jam sublatis cogitemus, fieri non posse, quin de nostro quoque habitu frequenter cogitemus. Sed & facile intellecturos, sicut aliquis est scopus quo sagitta fertur, & in circo meta aliqua extrema postquam nulla restat, ita aliquid in vita nostra esse, quo natura sua sponte fertur, & in quo quiescit.

Adeo, vt mors ipsa semper suos doceat quod semel est factura. Nullum enim diem esse, quin efferi videamus aliquem. & vbique occurrere eorum monumenta, qui fuerunt. Vt, si maxime velimus, cogitationem hanc ex animo dolere nequeamus. quae, si aliam, non modo vtilem ne aliud agentes mors inuadat, sed prope esse necessariam.

Expedire & inter caetera, vt naturam totam saepe intueamur, & hoc vastum corpus,

quod ex caelo, terra constat ac mari. In eo enim obseruatum iri, omnia ex quibus constant singula, ipsa nempe elementa, siue prima corpora, perpetuo aut nasci aut mori. Atque ex mutatione eorum, aliud fieri, aliud perire. Vnius enim generationem, alterius corruptionem esse. Adeo, vt cuncta videantur magnam illam mortem exercere, de qua libro primo dictum est. quae haec omnia quae intuemur, pariter extinguet, & in cinerem resoluet.

Pecudes quoque & aues, innoxias ac simplices naturae alumnas, quotidie, sine vilo animi dolore, mori. Ita, vt nonnunquam canant quoque, & gaudere videantur. Quale est, quod de cygno poëtae commemorant. Etiam arbores, praeterquam quod annis singulis comas ponere, & in hyemis aduentum mori videantur, saepe Solis violentia, aut frigore immodico, exuri, ac, reuera mori. Idem euenire & floribus. qui vel sponte moriantur, vel ventorum rabie ac Solis, extinguantur.

Quin & ipsum Solem, qui nonnullis vitam confert, alijs vero eripit, quotidie minari, quod facturus semel est. Vespere enim hinc abire, & sub horizontem nostrum se subducere. Eundem quoque mortem toties minari, quoties defectu suo hanc promittit. Idem iudicandum & de reliquis sideribus. Quae licet toties huc redeant quoties hinc abeunt: tamen quaedam esse quae post tempus aliquod intereant, aut saltem non conspiciantur amplius. Quales sunt Cometae; irae, vt plurimum, diuinae, & calamitatis nostrae praecones.

Denique, si bene ratio ponatur, nihil esse quod non abeat, quod non praetereat. vt ab ipso protinus initio cuncta festinare ad metam videantur. Ita iuuentutem aduentu statae aetatis, eam rursus, senectutis, deficere ac extinguere. vt propemodum quod alteri succedit, eius quod iam fuit, mors videatur.

Somnum quoque mortis esse imaginem & quasi paedagogum, quem quotidie, non praeludere ei tantum, sed & animum a corpore disiungere quo, sine eo, mentem, consistere



ac vigere posse, docet. Quae tum corpore soluta, libere vagatur, neque raro ea loca penetrat, ad quae aspirare corpus non potest.

Neque parum facere ad contemptum mortis, Si quis vitam, quam futuram Deus ipse misso filio suo, quasi obside, promisit, animo percurrat: eius gaudia ac voluptates saepe metiatur atque examinet. Atque inprimis ineffabilem in illa vita Dei praesentiam, majestatem, comitatum, splendorem. Et quaecunque in scriptis sacris nobis reuelata sunt; ideoque tuto creduntur. Quod ad hunc autem quem spiramus aërem, verum esse id quod docent medici ac physici; morborum plurimorum esse causam; varium mutabilem, pestiferum, atque ideo letiferum: qui modo subitis frigoribus, modo aestu, ac praesertim sub autumnum, mutatur. vt non immerito Hippocrates, μέγιστον ἐν ἅπασι των συμπτωμά των δυνάστην, id est, *maximum, omnium quae homini eueniunt, imperatorem, appellet*. A quo, solo mortis interuentu, transferri nos ad locum, purum, immutabilem, innoxiumque,

qui beatas excipit animas, semperque sui similes, hoc est, felices, laetos ac aeternae voluptatis participes, complectitur.

Corpus quoque hoc nostrum, quod hunc περιέχοντα, hoc est, circumfusum ex omni parte trahit aerem, quia ex iisdem ex quibus caetera, principijs constat, nihil esse aliud quam mortis subjectum: atque adcirco physica necessitate, vt loquuntur, aliquando interire. Ex aqua enim, terra, aëre, & igni, nihil posse fieri quod non sit mortale: quaeque ex ijs constant, ideo mortalia futura semper esse, quod ex talibus consistant.

Esse multos, qui idcirco mortem timeant, quod alias atque alias illius species ac formas animo concipiant. Aliam autem alia, metuendam magis ac terribilem videri. Vt si quis fulmine extingatur, aut in Aetnae crateras incidat, aut in mari a balaena vasta atque immani hauriatur. Quae omnia, mera & inania terricula esse, quae in sola opinione consistunt. cum vna tantum mors sit: semper eadem, semper sui similis. Quocunque

enim modo intereas, nihil aliud quam animam a corpore disiungi.

Quosdam ideo timere mortem, quia maximum dolorem comitari eam arbitrantur: aut frequenter aegros sauciosue conqueri de eo audiuerunt. Quibus cogitandum, eam, sicut aliarum rerum, ita & doloris finem esse: qui ante illam saepe, & in ipsa vita, in quibusdam qui simillimi sunt mortuis, extinguitur. Vt in illis, quibus male animo esse dicimus. hoc est, quos linquit animus.

Eadem agitari opinionum nebula, qui, in patria quam alibi, expirare malunt. cum animus, quocunque loco corpus linquit, in eundem feratur: idemque aër, omnes terras, aequae atque hanc nostram, complectatur, aequae omnibus incumbat, aequae omnibus vicinus sit.

Ab eadem opinione esse, quod nonnulli a facultatibus suis, alij ab hoc praedio aut illo, conjuge item, ac liberis aegre auellan-

tur: cum nec opibus, nec praedijs, nec conjuge, qui hinc discessit, opus habeat. Quare existimandum, ea postquam hinc abijmus, respectu nostri amplius non esse. quia nullus post hanc vitam superest eorum vsus. Vt nec cura, aut fruendi desiderium.

Semper vero cogitandum, nihil minus certum esse quam viuendi tempus: neque cuiquam, quando vasa colligenda sint, constare posse. Quosdam enim prima, quosdam media, alios extrema aetate hinc abripi. Quos quidem esse miserrimos: quia quanto diutius supersunt, tanto ijs plura quotidie incommoda, in vita obijci. Quare ἀναισθησίαν esse & stuporem, cum mors portus sit calamitatis, proram ei velle obuertere: ac non contra, vt prudentes nautae solent, post diuersa turbulenti huius maris pericula, lubenti animo amplecti terram.

Et tamen, neminem esse, qui cum diu viuendo in calamitates incidit, non frequenter mortem optet: non libenter fateatur, vitae breuitatem, infelicitatis esse remedium.

Quod exemplo Hecubae inprimis probatur. Iuuentuti enim euenire vt plurimum, mortem vt metuat: partim, quia aspera atque aduersa vitae, nondum est experta: ideoque incontaminatam hanc felicitatem, & prosperrimum viuendi cursum, aegre patitur abrumpi.

Senectutem vero, caetera vt omittantur, per se admonere cunctos, quod plerisque persuadere ratio non potest, contemnendam, imo, exoptandam esse mortem. Adeo, infinitos morbos, infinitas secum aduehere calamitates; faex humanae vitae ac fundus. Cujus aduentu, ipsam quoque mentem caligine involui: adinstar solis, qui quo ab occasu abest propius, eo minus lucem exerit. Quare eos demum laude dignos esse, qui in ipso flore aetatis discunt mori. non, qui aut defecti a natura, aut viuendo fessi, extinguntur. Ita & Achillem, si poëtis credimus, & Herculem, integro & corpore & animo ereptos esse: vt inuictum terrore mortis animum, non fractum senectute aut cala-

mitatibus debilitatum, effunderent, & constantiae exempla, terris exhiberent.

Atque idcirco, Deum immortalem, mentem homini dedisse ac intellectum, quo sese adversus metum mortis, quanquam in perpetua felicitate, & aetate integra, muniret. in primisque, bene ac praeclare viuendo. Neminem enim diutius viuere, quam qui bene viuit: qui praeclaris factis, spacium viuendi prorogat: mente illud, quantum potest, extendit. Talem enim viuere post mortem, viuere in memoria hominum, neque vnquam extingui.

Ideoque eos demum sapere, & aduersus mortem optime munitos esse, qui praeclaris semper actionibus incumbunt, qui praesentem semper vitae diem, tanquam vltimum, virtuti impendunt. Eos enim quandocunque mors oppresserit, efficere non posse, vt non satis diu vixerint. Quia animo, invita morte, corpori supersunt. Cujus laus & gloria, longe extra corpus & hanc vitam se extendit.

Quare nec labore vlllo abhorrendum, operamque dandam, vt nec frigora nec soles, corpus aspernetur. Paupertatem enim & laborem, maxime contemptum mortis, & potissimum, inducere. Atque idcirco, evenire saepenumero, vt agricola aut pastor aliquis, sub dio & ad stium educatus, sine metu aut horrore, spiritum emittat. quod vix vnquam discunt, qui immersi voluptatibus hanc vitam transeunt.

Eos quoque vel inprimis ad contemptum mortis esse aptos, qui pericula non horrent sed deposcunt, & aduersos casus materiem virtutis suae esse existimant. Adversa enim esse, quae nos mori docent: cum secunda mentem sensibus, vt plurimum, affigant: faciantque, vt aegerrime e corpore excedat anima.

Caeterum, quia nihil est facilius quam rebus duris atque aduersis, vitam aut contemnere, aut optare mortem, ratione animum firmandum esse, vt siue res aduersae premant, siue omnia ex animi sententia succedant,

imo tum potissimum, quia difficillimum, magno animo ex ista vita discedamus. Alterum enim est cuiusuis. hoc vero sapientis.

### **Lib. III.**

**AN**te omnia, qui bello destinatur, ita esse nutriendum, vt se totum, patriae & morti, quae perpetuo est expectanda, sentiat deuotum atque consecratum esse, & ad vitae contemptum, tota eius spectet educatio.

Ideoque voluptatem initio arcendam, ac ne ad cunas quidem eius admittendam: somno vix, aut breui indulgendum: caput corpusque ventis ac pluuijs assuefaciendum. Vt quaecunque coelum atque aërem, familiarem sibi habeat.

Ac frequenter bello esse aptiores, qui in medio castrorum nascuntur: aut e patre bellicoso; dum ab hostium incursu aras liberos ac focos tuetur.

Dandam esse operam, vt a prima aetate,



loco crepundiorum, arma intueatur, tubam audiat, concentu militari delectetur. quae non tantum excitant, sed & explorant indolem. Saepe enim qui erecta sunt ac militari, ad clangorem toto corpore exultare.

Aetate proeclior, arma loquatur, arma cogitet: arma, si potest fieri, etiam in somnis videat. Et jam tum, generositate animi, vultu, incessu, cultu, quem neglectum atque incultum esse conuenit, totoque membrorum habitu, terrorem hostium matronis ac virginibus incutiat.

Caeterum, cum omnibus qui ad contemptum mortis toto animo contendunt, ignauiae renunciandum sit, tum in primis militi. Cujus vita tota nihil aliud quam exercitium armatum esse conuenit.

Illi ab aetate prima, equos domandos, pugnas ludictas, cum aequalibus instituendas, mare & fluuios tranandos, militaria itinera conficienda, saltu certandum, aut ad palum, more Romano, vires exercendas: nullum

denique exercitium militare, praetermittendum.

Victu quoque tenui & obuio vtendum. siue aqua tempore hyberno rupta glacie sit haurienda, siue humus quaelibet, quamlibet defatigato corpore, premenda sit. Ea enim ratione patientiam paulatim disci: ea ratione, metum leti sensim donari.

Neque in dilectu militari, agricolas & operarios rejiciendos. Neminem enim melius ad arma militaria habere comparata, animum & manus, quam qui ante rusticati sunt. Ideoque non sub coelo tantum nostro leti contemptorem nasci, verum multo magis, sub asperiore. Sub Septentrione puta. Ibi quippe in rupibus & scopulis, nasci saepe animos inuictos, qui postquam diu cum terrae suae refractaria asperaque indole luctati sunt, ab opere rustico, ad bellum veniunt.

Conferre & ad virium soliditatem, seram Venerem non minus, quam raram. Ex parentibus enim, qui prouecta aetate ad coitum

accedunt, nasci liberos qui solidis sunt viribus, optimeque patriae impendunt, quod in ipsos a parentibus transfusum est. sicut & Lycurgum ferunt, in Republica quae nihil praeter Martem spirabat priusquam plane adulta essent corpora, nuptias inire vetuisse. ἔταξε δὲ ἐν ἀκμαίῃς των σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο συμφέρον τῇ εὐγενείᾳ νομίζων. *jussit dum vigerent corpora, inire nuptias. quod ad rectam procreandi rationem id quoque interesse existimaret.*

Ante omnes autem disciplinas, patriae amore ac libertatis, seruitutis autem odio, imbuendum tyronem esse. Ac saepe illi instillandum, nihil esse foedius, quam domum, liberos, ac thorum, in victoris venire potestatem. Et, vt omnium crudelitatem atque oprobriorum genera, quae a victoribus excogitantur in victos, omittantur; praestare tamen centuplo honeste mori, quam existimationi suae superesse.

Saepe inculcandum illi, omnia virtute, gladio, ac vita parari. cujus qui contemptum non didicerint, nondum intelligere,

eam aliquando, ac frequenter quidem, febri subita, aut lento morbo ac difficili, ponendam esse.

Quemadmodum & illud, generosum atque heroicum spiritum, nulla re melius, quam gladio aut hasta, emitti. neque mortem esse ullam, quae cum hac sit comparanda.

Quippe qui sic moritur, non luctari cum morte, nec dolore diu aut gemere, sed virtuti intentum, & absentem quasi animo, qui totus est in spe victoriae, sine sensu mali alicujus hinc abire.

Neque opus videri, vt philosophiae studio ab ineunte aetate miles incumbat, aut arcana ejus hauriat, cum naturalis cura honestatis ac constantia, magis in milite probetur. Sicut magnus ille Agricola a Tacito laudatur, qui retinisset, *quod est difficillimum, e sapientia modum*. Sane militares animos, exemplis potius & imitatione, quam praeceptis, excitari. Ideoque historiarum lectione,

in milite virtutem accendi. vt & ducum antiquorum, hortatu & sermonibus. Quales sunt orationes, regum, principum, ac ducum, quae in scriptis veterum Graecorum atque Romanorum, occurrunt. Quas ex historicorum libris excerpere, & virtuti excitandae prisci milites Romani, quamdiu libera Respublica esset, circumferre solebant.

Quemadmodum hoc fine Tyrtaei poëmatibus Sparrani sunt vsi. quorum carminibus, virtutem acrius quam tubae vllius clangore, accendi credebant.

Quod ad caetera, nihil, ne in sapientiae quidem studio indecore faciendum. nec praepostere Platonis, Aristotelis, aut Stoicorum placitis, cum res manum poscit, incumbendum esse.

Negari non posse tamen, quin plurimis profuerit, naturam animorum & aeternitatem, e philosophorum placitis, & quaenam vera fortitudo sit, hausisse. Tum vero, quantum inter eam & ferarum rabiem intersit,

ἀνδρείοι γὰρ εἶναι δοκοῦσιν, inquit Philosophus, καὶ οἱ Διὰ θυμὸν, ὥσπερ τὰ θηρία, ἐπὶ τοὺς πρῶσαντας φερόμενοι. *Videntur fortes quoque, qui irati, sicut ferae, in eos, a quibus vulnerati sunt, feruntur.* (quemadmodum accuratissime virtutem illam pertractavit, & a quinque modis fortitudinis non verae, idem Aristoteles distinxit, tum quaecumque ad eam recte intelligendam faciunt, solide observavit.) & praesertim, veram nec stipendium nec spem, sed honestum solum & per se spectare, atque hoc vnum in omnibus propositum habere.

Neque dubitandum, quin his omnibus instructus Alcibiades, e schola praeceptoris sui & amplexibus, ad bellum venerit. Quo in tota Graecia maior imperator vix fuit, & qui tantis cladibus Siciliam ac patriam, ab ea relegatus, afflixit.

Idem quoque de Achille, Agamemnone, Menelao, Aiace, ac Troianis sentiendum esse. Qui procul dubio, sine aliqua cognitione sapientiae, tanto animo, quantus ab Homero in ijs describitur, res gerere haud potuerint.

Qua occasione, de Achillis institutione inseritur, παρέκβασις tum suprema, qua ad Troiam abeuntem Chiron prosecutus est, oratio. In qua, cum ad virtutem & rem strenue gerendam eum adhortatur, tum de animorum immortalitate, & caeterarum rerum instabilitate, prudentissime eum monet. Exemplo Hesiodi. qui Χείρωνος Ὑποθήκας, siue, Admonitiones Chironis, scripsit.

Exemplo ergo eius, attingendam quidem esse sapientiam; adeoque quaedam scire militem debere, caetera autem, manu & experientia, discenda esse. Et inprimis, tolerantiam ac patientiam. quae inter caetera efficiunt in milite, quod sapientia in alijs: vt, in mentis nempe potestatem perducantur sensus.

Inter caetera militaria exercitia, commendandam militi praecipue venationem; siue leuiorem, & in qua nihil praeter laborem spectatur, quae insidiatur lepori aut damis: siue grauiorem, quae leonem, vrsu, aprum, & id genus feras, vi, & cum periculo nonnunquam vitae ac discrimine, inuadit.

Ea quippe antiquos heroas esse vsos, quales qui a Xenophonte & alijs commemorantur. inter quos, Centauri, Castor, Pollux, alijque eius generis. qui venando & praedando, priusquam ad legitima venirent arma, metum mortis ac terrorem, animo subjecerant.

Quemadmodum in Africa totas esse gentes constat, quae assidue cum feris, & praecipue leonibus, virtutis causa bellum gerant. Ibi enim multos simul agminatim, modis varijs leonem adoriri. Maxime autem vsitatum esse, vt tecti clypeis, aut bouis inuoluti tergore, speluncam cingant, & flagello saepius in aëre excusso, sonum edant, donec leo animosus atque irarum plenus, prodit. Quem virtute multa domant, atque infestis ictibus configunt.

Nihil autem magis ad contemptum mortis, quam crebra proelia, conferre. In quibus cum mors multos tollat, & ante oculos perpetuo versetur, tot aliorum vulnera, tot funera conspiciantur, quot propemodum tela emit-



tuntur, fieri non posse, vt cuiquam praeter expectationem eueniat. Ideoque recte atque ordine facere, qui tyronem, si non in bello; in velitationibus, & bellorum quasi imagine quadam, assidue exercent.

Paulatim quippe addiscendum esse id quod semel est tenendum: vt nimirum mortem contemnamus. Quod longe pluris esse, quam a vertice ad talos armatum esse: longaque plus aduersus hostem tales posse.

Animum quippe esse qui pugnat, animum qui vincit, animum, qui saepe paucis comitatus, aut solus, totas acies vel sistat, vel in fugam agat: quanquam & armatas, & telorum omni genere instructas.

Ideo non referre, vnde quis sit oriundus, aut vbi natus: quo item sit & quanto corpore. Dummodo, inuicto, & insuperabili sit animo. Qui saepe exiguo in corpore, qualem fuisse Tydea commemorat Homerus, instar fulminis cuiusdam ac typhonis,

obuia quaeque, vi & contemptu mortis, prosternit.

Eoque rursus repetitur, omnia superare mortis contemptum & inuictum animum. qui, quouis tempore paratus est, non modo cum alijs, sed cum ipsa morte congregi. quanuis subito & praeter expectationem sustinenda sit.

Quibus duobus, & audendo, quicquid hostis possidet, terram quoque illius, aërem, & aquam, in potestatem nostram transferri.

His praesidijs, Macedones, his Romanos, orbem sibi & naturam subjecisse. Neque nostro tempore virtutem deesse aut animos, neque naturam alios nunc homines quam illo tempore in lucem dare. Sed experientiam & vsum esse adhibendum: saepe excursiones faciendum: saepe bello praeludendum: saepe aliquid aduersus hostem ante tempus belli tentandum. Vt in ipso, animus, suus & immotus, maneat.

Audaces autem semper minimum, plurimum periclitari eos, qui in fuga fiduciam habent, neque animum, sed tergum hosti objiciunt. Vnum ergo cogitandum ab aetate prima, vnum meditandum. Semel nempe moriendum, semel tributum suum ac vectigal naturae persoluendum. Nascenti hoc incumbere, vt moriatur: nullam esse viam quavis mortem euadat: vna excepta, quae ad immortalitatem ducit. Eam autem ducere per hostem medium. Hac enim, & opprobrium, & infamiam, & ipsam mortem euadi. quia haec via sola est heroica qua omnes magnae animae coelum & aeternitatem petunt.

Id docere vsum. Eum enim qui nihil metuit, simul ac virtutem toto animo concepit, & horrenda specie, totus ardens, totus flagrans, totus impos sui in hostem fertur, timorem quidem circumferre, atque alijs iniicere, ipsum autem nihil timere.

Neque in ipso proelio, vbi cum hoste configitur, vllum cum timore mortis certamen

esse. Id quippe rem ipsam docere. Simul enim atque tuba insonuit, ita concitari animum & abripi, vt occupare membra videatur singula, & cum quodam quasi impetu in hostem pariter & mortem feratur. Ne referre quidem quam sint multi cum quibus sit congregandum, & quibus singuli vtantur armis. Concitatum enim ruere ac ferri. Nec respicere, aut tormenta bellica, quae horrendo motu terram quatiunt, aut cadauera, quae circumcirca voluuntur. Adeo non esse secum vbi semel coepit incalescere, & in agmine versari.

Cujus tantam esse vim, vt, illius qui sic cadit, etiam absente anima, corpus quod est reliquum post mortem, sit terribile, & conspectu suo metum hosti injiciat. Nec referre sane, vtrum insepultus maneat, dum aduerso iaceat vulnere. Quo nihil gratius ipsum intueri Solem.

Ab his principijs Spartanos ad existimationem tantam, tantumque nomen peruenisse. Qui non in armis, imo nec in moe-

nibus, sed in solo animo, omne praesidium habuerint. Adeo: vt nec moenibus nec muris opus sibi esse existimarent: & quemadmodum mortem nec timerent, ita neque mortuos lugerent. ac ne matres quidem filios. Quae cadauera scuto imposita, laudibus ad coelum ferebant, aut cruorem mortuorum manu abluabant.

Concluditur postremo liber παρεκβάσει. In qua, praeter votum pro pace atque incolumitate patriae, de calamitatibus bellorum ciuilium, fortuna sua, patria, institutis, foederatis Batauorum gentibus, ac praesertim serenissimo Gustavo II. Suecorum, Gotorum, Vandalorum, &c. Rege, & de incomparabili virtute ejus agit autor. In quo omine augusto liber desinit.

**Lib. IV.**

**P**Raecipuum aduersus horrorem mortis Christiani hominis remedium esse, fidem. quae Dei filium amplectitur, ei haeret, in eum intuetur.

Hac vsos esse antiquos patres, qui a lapsu primi hominis aduentum filij Dei sperare, & in eum oculos fidei conuertere coeperunt. Quibus & futurum tempus tanquam praesens fuit. Quia, quasi jam praesentia videbant quae futura erant. Hinc tot illustria de eo vaticinia, tot praeclaras in veteri foedere, de aeterno eius regno, prophetias: hinc quaecunque de terra promissionis, siue Canaan, dicuntur, & tot luculentae atque amoenae illius descriptiones. quae omnia eandem vitam quae futura est adumbrabant, sicut eadem fides eundem seruatores intuebatur. *Cuius nomen*, sicut recte Augustinus, *ex illo tempore ad saluandum humanum genus valet, ex quo in Adam vitiatum est.* Item, *Eadem fides*

*mediatoris quae nos saluat, saluos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum: & sicut nos mortuum, ita illi moriturum. & sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum. & nos & illi ad iudicium viuorum & mortuorum venturum.*

Vnico hoc solatio magnas illas atque heroicis mentes, non labores tantum vitae omnes aut pericula, cum quibus saepe sunt luctati, sed & ipsum mortis metum diluisse.

Hac anchora fundatam Noachi arcam fuisse, cum ex genere humano, praeter eum & paucissimos quos secum habebat, nemo superesset, & in terra nihil praeter aquam intueretur; terrae simul & humano generi superstes.

Neque dubitandum, quin ex eo fluxerit immensa illa Abrahami fides, quem progenitorem Christus habuit; cum haeredem suum, & promissionis de foecunditate gentis suae fulcrum vnicum atque obsidem, Isaacum, jam senex, extra omnem generandi

spem positus, immolare Deo imperanti, promptus ac paratus esset. Ex eo enim tantas illi vires credendi fuisse, qui humanae respectu naturae, ex illius lumbis proditurus erat, & fiduciam credendi jam tum suis dabat.

Eundem vidisse & Isaacum, cum jam nihil videret; coecus quippe & senex. Vidisse Iacobum, & cum eo luctatum esse. Hunc enim illum Angelum fuisse, de quo agitur Gen. 32. qui eodem capite Deus quoque dicitur. Eundem hunc ipsum Iacobum vidisse, & quasi ante oculos spectasse, cum jam esset moriturus, & ingenti ore, regni eius magnitudinem ex stirpe sua orituram praedixisse.

Eundem saepe a Mose inspectum. Adeo, ut nonnunquam, tanquam dux, in hostem duceret exercitum, neque abiret, antequam, victoriam ab hoste consecutus esset. Sicut Exodi 14. Vbi rursus Dei Angelus vocatur. Cum illo etiam locutum esse in publicatione legis. quemadmodum, quae de Deo



dicuntur, 19. & 20. Exodi, ad Dei filium, a Patribus referuntur.

Neminem autem plenius illustriusque animo illius praesentiam vidisse quam Dauidem. e cujus stirpe natus est. Qui de nepote suo, tanquam de amico aliquo, de cujus aduentu multa quotidie audimus, passim agit. Adeo vt spiritu illius tactus, voces saepe admirabili fiducia plenas, tanquam fulmina quaedam aut tonitrua emittat. Vt cum Psalmo 16. certissimus de resurrectione sua, in & propter Christum, triumphum de morte his verbis ducit: *Propter hoc laetatum est cor meum, & exultat lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et cum 23. exclamat: *nam etsi ambulauero in medio vmbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Et 118. *Non moriar, sed viuam.* Atque haec omnia memor foederis & pacti, quod exprimitur ab eo Psalmo 132. *Iurauit Dominus Dauidi veritatem, & non frustrabitur eum. Fructum ventris tui in sede*

*tua ponam.* Ad quae simul loca, sicut saepe veteres diuersa jungunt ac respiciunt, allusit autor.

Hinc illa quae de sceptro eius, de potentia, viribus, ac aeternitate regni, passim occurrunt. Hinc quae toto secundo leguntur, & imprimis illa, *Postula a me, & in haereditatem tuam dabo tibi omnes gentes, terminosque terrae omnes in possessionem tuam. Reges eos virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.*

Huius numine contactum Isaiam; vatem magnum ac sublimem, & qui ipso genere discendi, stirpem regiam, qua oriundus dicitur, spirare videtur; ventura, tanquam visa & conspecta pridem, descripsisse. Hinc praeclaras illas & coelestes de illius regno prophetias. Qualis extat cap. II. plane poëtica: *cujus initium, Nascetur virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet.* Et praecipue quo nunc respexit, illa, *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in aequitate, &c. Habitabit lupus cum agno, pardus cum haedo accubabit,*

*vitulus, & leo, & ouis, simul agent, &c. Vitulus & vrsus pascentur.*

Idem & Sibyllas fecisse. quas ea ipsa Isaiae verba expressisse, e Virgilio illarum interprete apparet. De quorum oraculis plena sunt Graecorum atque Romanorum scripta.

Hinc apparere, eum quem fides nostra respicit, esse aeternum, quia semper fuit. esse populi sui spem vnam & delicias, quia antequam ad nos venisset, suis adfuit, suis adhaesit, suos deduxit ac direxit, & praecipue, certissimis de aduentu suo promissionibus, inestimabili ratione, ab ipso mundi initio, aduersus vim mortis ac terrorem erexit. (quod nihil mirum, cum & vita sit, & vitae origo.) Idque donec venit, atque homo inter homines versatus est.

Venisse enim tandem, & ex virgine castissima verum induisse hominem, qui Deus semper fuit, mansit, & in saecula manebit.

Quo aduentu, dubium non esse, quin

Sancti omnes eo tempore superstites, quanquam pauci admodum, ineffabile atque incredibile animo conceperint gaudium. quod, priusquam discederent e vita, mortis victorem, & aeternae vitae praedem ac sponsorem, ante oculos viderent atque amplecterentur.

Illum vnum igitur & nobis, quamdiu vivimus, animo esse infigendum: illum mane, meridie, vesperi, ac noctu cogitandum. Quaecunque enim praestitit, pro nobis praestitisse. Ab ineunte autem vita, praestitisse plurima. lacuisse in tuguriolo, plorasse ac vagijsse; cum multorum denique innocentium crudeli caede, ad interitum ac necem crudelissimam, quaesitum fuisse. Etiam, a generis humani hoste, diuexatum in deserto ac ludibrio fuisse habitum: ab amicis autem suis, quorum causa venerat, indigne exceptum. Coeli denique ac terrae dominum, sed quem neque hoc, neque illa, capit, famem, laborem, ac calamitates nostras, dum hoc onus nostrum baiulat, tulisse. Postre-

mo prae angore, dum inferni vires omnes & aeternos cruciatus sentit, grumos sanguinis sudasse. Atque eorum finem, ac conclusionem, execrandam atque horrendam mortem fuisse.

Haec si semper cogitemus, si in illis cruciatibus illius, semper oberremus, eosque mentis oculo praesentes semper habeamus; facile futurum, vt ineptiarum omnium obliti, prius lachrymas ac gemitus quam voces effundamus. Si praesertim in hac contemplatione, mortem semper expectemus. Quae quocunque tempore est ventura, morte illius fractam ac contritam esse.

Eum qui pro nobis est mortuus, eundem esse qui a Sanctis omnibus tam diu expectatus fuerat. quia nostra & illorum vita erat. Cui vera sacrificia a nobis offerenda esse. non quidem qualia fuere antiquorum, sed ardentis gemitus, qui ex vera poenitentia, & cogitatione de miseria ac peccatorum magnitudine, procedant. sed colloquia cum eo,

& flagrantes preces. In quibus tria potissimum spectanda.

Primo, quis sit ille quem affamur. Aeternus nempe Dei viui ac aeterni filius; mors mortis, ac fons vitae. Secundo, quaenam illa sint quae pertulit: plagae, nempe, vulnera, ac postremo, mors ipsa. quam nec terra neque Sol videre sustinuit. Adeo, vt hic, coelo abijsse videretur: illa, luce erepta, ad conspectum rei tam indignae lateret. Tertio, qui nos simus. Peccatores nempe miseri. Quarto, quid illius morte consecuti simus. Liberationem nempe ab ea, & a poena, quam merueramus. Ideoque & ab horrore illius ac formidine. Cujus tam stupenda fuit bonitas, vt immani vulnere humana manu trajectus, merum ex eodem nostri effunderet amorem. Aquam nempe & sanguinem. Vnde S. Augustinus; ex Dominico latere, nostra sacramenta profluxisse ait. Et S. Chrysostomus, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ μυστήριον ἀπόρρητον ἐτελείτο. ἐξῆλθε γὰρ ὕδωρ καὶ αἷμα. οὐχ' ἀπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν αὐταὶ ἐξῆλθον αἱ πηγαί· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ἐκκλησία συνέστηκεν· καὶ ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι, δι' ὕδατος μὲν ἀναγενώμενοι, δι' αἵματος, δὲ καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι.

Precandum ergo saepe, siue intenta voce, siue etiam, sine vlla. (interdum enim cor sufficere quod tacet, quia vim amoris sui effundere non potest.) Idque cum in omni vita faciendum, tum praecipue cum finis eius imminet. Tum, quo magis vox deficit, eo magis intendendum esse animum, & ad Deum cum fiducia in eius filium, qui vitam in se habet, & jam eam nobis morte sua peperit, accedendum. Ac praecipue petendam esse fidem. Cujus vis est tanta, vt dum viuimus, mortem non timeat, qui vitam intuetur: & cum morimur, eam facillime contemnat, qui, de futuris cogitat.

Hac occasione magni aliquot commemorantur heroes, qui in veteri foedere intentos assidue in seruatorem habuerunt oculos, adeo vt naturam post se relinquerent, multisque testarentur miraculis, quam longe supra ipsam essent. Quales fuisse, tres Patriarchas, Deborah, Gedeonem, Iephten, Samsonem, Eliam, Elisaeum, Sidrach, Mesach, & Abednego: etiam Salomonem & Daudem,

ante iam dictum: qui templum, omni apparatu splendidum magnificumque, regi venturo condidit. Cum ille, sola paupertate contentus, in tuguriolo natus, & a Sanctis salutatus fuerit. Inprimis Simeone, qui in templo aduentum ei hunc est gratulatus; ineffabili percussus gaudio, quod ante mortem, ipsam vitam, ipsam mortis mortem, vidisset, salutasset, tetigisset. quia ante animo venturum viderat. Fidei enim id munus, vt semper Christum videat: hoc quoque tempore semper eum, vbi nunc est, aspiciat; non, vt quondam in carne imbecillum, sed jam gloriosum ac triumphantem; non tamen sine carne nostra.

In hoc vno spectaculo, eam oblectare sese[.] Ac cum intuetur eum, non modo mortem, sed & flammam omnes, cruces ac tormenta omnia contemnere: in ipsa imo morte vitam viuere, non quam deponit, sed quam inchoat qui ea praeditus hinc abit.

Ea autem cum diuinae innitatur doctri-



nae; hinc petendam esse veram sapientiam. cum qua neque Aristotelica, ac ne Socratica quidem dogmata, quamquam magna sui parte ex eodem fonte profluxerint, esse conferenda: quod in Hebraeorum ac Graecorum scriptis, veritas sit reuelata.

Assiduam quoque vitae innocentiam petendam esse, bonisque cogitationibus atque operibus vacandum. nihil enim esse mala conscientia grauius, quae futuras post mortem poenas impijs in hac vita proponit. Adeo, vt ante obitum, vitam omni morte grauiorem sentiant. Quare, probitati incumbendum sedulo. Atque imprimis adhibendam poenitentiam, quae ptaeteritam emendat vitam, praesentem autem in officio continet.

Serium in his rebus studium, longe ijs omnibus praestare, quae aut ambiuntur, aut in vita tractantur. Qualia nonnulla hic commemorantur, quae nonnullos a coelestibus abducunt: qualia sunt, poësis, astrono-

mia, juris scientia aut medicinae: tum vero regum negocia ac principum. Quae nonnulli ita tractant, vt de rege aeterno non cogitent. Cum nemo, nisi liber illis, aspirare ad Dominum ac creatorem suum queat. Quare iterum, quod libro primo dictum fuerat, repetitur: sensus nempe rationi subjiciendos, atque ab illis separandam esse mentem. quae priori suo statu nunc excidit.

Hac occasione, locus de felicitate primorum in Paradiso parentum, deque eorum crimine, quo haereditatem mortis propagarunt, agitur.

Cujus vim, Dei filium, morte sua prorsus deleuisse. Quo in coelum recepto, tanquam duce praeuio, secutam esse fidam militum manum, qui tormentis nullis, nullis minis, ad terrorem mortis agi ac compelli potuerunt: quia praecessisse ducem suum atque principem sciebant. Qui hoc ipso satis ostenderunt, semel fractam mortis vim fuisse. Vt praeclare dicat Athanasius, certis-

simum deuictae mortis esse indicium, quod tot ac tanti testes, qui secuti sunt ascensionem Domini in coelum, nihilo profecto magis, quam si nunquam extitisset, eam timuerunt. Hinc de martyribus, fortitudine eorum, mortis contemptu, vita, poenitentia, & institutis, locus integer. Et inprimis, eos sic vixisse, vt continentia ac temperantia de vitijs; mente de sensibus; constantia de omnibus aduersis; tolerantia de poenis ac supplicijs, contemptu mortis de vita; fide, de morte pariter & mundo triumpharent: aut; vt D. Hieronymus, in ijs triumpharet Deus. *Triumphus*, inquit, *Dei, est passio martyrum, & pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta laetitia.* Sic vixisse, vt dum viuerent, tota vita exularent. Ideoque sese lachrymis assiduis jeunijsque macerasse, vt facilius ex hoc exilio ad veram libertatem abirent. Vixisse enim persecutionis tempore, aut in montibus & solis locis, vbi neque ab hominibus aut eorum vitijs, ab aeternitatis contemplatione abducerentur. Vixisse &

in tumultis plerosque, vt ibi saltem a crudelitate tuti essent. Vbi assidue vidisse Dominum & Seruatorem, & quemadmodum Ignatius dicebat, ἔρωτα ἐσταυρωμένον suum, ac suaussimo amore illius contabuisse. Donec ad dicendum veritati testimonium, e terris vocarentur. Tum de protomartyre Stephano: qui primus omnium magnifice, post Dominum, de morte triumphauit; & corona vitae est donatus.

Qui cum Dominum ad dextram patris stantem antequam excederet è vita conspexit, satis ostendisse, nihil amplius jam posse mortem, quae ante Domini in terras aduentum, terrore ineffabili, conscientias mortalium premebat. vt ne Atlas quidem maius sustulerit pondus. Quod aduentu Seruatoris nostri penitus sublatum esse.

Hic jam longa, de natiuitate Domini, amore nostri, humiliatione, exaltatione, potestate denique ac magnificentia, inseritur παρέκβασις. Qui cum triumphauerit de

morte, effecisse, vt qui militant in castris eius, aut illic spei anchoram defigunt, tam augustae sint victoriae participes, vtque mortem, jam deuictam esse, ante eam, & in ea, sciant atque intelligant; aeternae vitae mox participes futuri. In quam nulla mors vllum jus habet.

**Platonis locus ex Phaedone de vita secundum mentem, quae est munus philosophi, & initium mortis.**

□ Γούμεθά τι τὸν θάνατον εἶναι; Πάνυ γ', ἔφη ὑπολαβὼν ὁ Σιμμίας. Ἀρα μὴ ἄλλο τί, ἢ τὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγὴν; καὶ εἶναι τοῦτο τεθνάναι, χωρὶς μὲν ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἀπαλλαγὴν, αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ σῶμα γεγονέναι· χωρὶς δὲ τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος ἀπαλλαγεῖσαν, αὐτὴν καθ' αὐτὴν εἶναι; ἄρα μὴ ἄλλο τί ἢ ὁ θάνατος, ἢ τοῦτο; Οὐκ, ἀλλὰ τοῦτο, ἔφη. Σκέψαι δὴ, ὦ γαθέ, ἐάν ἄρα καὶ σοὶ ξυνδοκῆ ἄπερ ἐ-

Vtrum aliquid putamus mortem esse? Ita sane, respondit Simmias. Vtrum ergo, inquit ille, aliud quam animae ac corporis putamus separationem esse? vt, nimirum, nihil aliud sit mori, quam vt corpus sit ab anima seiunctum, & seorsum sine hac existat; vicissimque anima a corpore sit separata, eodemque modo, sola ac per se existat? Quaeso, vtrum illud, an quid aliud ab illo est, quod mortem dicimus? Nihil, inquit ille, aliud profecto, sed hoc ipsum. Vide igitur, ô bone, vtrum idem nunc tibi, quod mihi, vi-

deatur. quippe hic facilius intelligemus illud, de quo inter nos nunc agimus. Vtrumne ergo munus esse existimas philosophi, addictum esse iis voluptatibus. quae è cibo aut è potu percipiuntur? Minime vero, o noster Socrates, respondit Simmias. Quid? ijsne quae è rebus Venereis petuntur? Nequaquam, inquit ille. Arbitraris ergo munus esse illius, vt in cultu corporis defixus haereat? hoc est, vt exempli causa, vestes habeat eximias, aut calceos, aliaque id genus quae ornando corpori excogitantur? Et vtrumne eum talia, aliaque id genus, admiraturum esse, an nullo habiturum loco, nisi quatenus necessitas id flagitat, existimas? Nullo ea loco si quid iudico, esse habiturum; modo verus, inquit ille, sit philosophus. Nonne ergo prorsus sic videtur tibi, omne talis viri studium, non in cor-

μοί. ἐκ γὰρ τούτων μᾶλλον οἶμαι ἡμᾶς εἰσεσθαι περὶ ὧν σκοποῦμεν. Φαίνεται σοι φιλοσόφου ἀνδρὸς εἶναι ἐσπουδακέναι περὶ τὰς ἡδονὰς καλουμένας τὰς τοιάσδε, οἷον σιπίων τέ καὶ ποτῶν; Ἡκιστὰ γε, ὦ Σώκρατες, ἔφη ὁ Σιμμίας. Τί δὲ, τὰς τῶν ἀφροδισίων; Οὐδαμῶς. Τί δὲ, τὰς ἄλλας τὰς περὶ τὸ σῶμα θεραπείας δοκεῖ σοι ἐντίμους ἡγεῖσθαι, ὁ τοιοῦτος· οἷον ἱματίων διαφερόντων κτήσεις καὶ ὑποδημάτων, καὶ τοὺς ἄλλους καλλωπισμοὺς τοὺς περὶ τὸ σῶμα πότερον τιμᾶν δοκεῖ σοι, ἢ ἀτιμάζειν, καθ' ὅσον μὴ πολλὴ ἀνάγκη μετέχειν αὐτῶν; Ἀτιμάζειν ἔμοιγε δοκεῖ, ἔφη, ὅγε ὡς ἀληθῶς φιλόσοφος. Οὐκοῦν ὅλως δοκεῖ σοι, ἔφη, ἡτοῦ τοιοῦτου πραγματεία, οὐ περὶ τὸ σῶμα εἶναι, ἀλλὰ καθ' ὅσον δύναται

ἀφεστάναι αὐτοῦ, πρὸς δὲ τὴν ψυχὴν τετράφθαι; Εμοίγε. Ἄρ' οὖν πρῶτον μὲν ἐν τοῖς τοιοῦτοις δηλὸς ἐστὶν ὁ φιλόσοφος ἀπολύων ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας, διαφερόντως τῶν ἄλλων ἀνθρώπων; Φαίνεται. Καὶ δοκεῖ γέπου, ὦ Σιμμία, τοῖς πολλοῖς ἀνθρώπων, ὧ μὴδὲν ἡδὺ τῶν τοιούτων, μὴδὲ μετέχει αὐτῶν, οὐκ ἄξιον εἶναι ζῆν, ἀλλ' ἐγγύς τι τείνειν τοῦ τεθνάναι ὁ μὴδὲν φροντίζων τῶν ἡδονῶν, αἱ διὰ τοῦ σώματός εἰσι. Πάνυ μὲν οὖν ἀληθῆ λέχεις. Τί δὲ δὴ, περὶ αὐτὴν τῆς φρονήσεως κτήσιν, πότερον ἐμπόδιον τὸ σῶμα, ἢ οὐ, ἐάν τις αὐτὸ ἐν τῇ ζητήσῃ κοινωνὸν συμπαραλαμβάνῃ· οἷον τὸ τοιόνδε λέγω· ἄρα ἔχει ἀλήθειάν τινα ὄψις τὲ καὶ ἀκοή τοῖς ἀνθρώ-

pore eiusque cura occupari, sed in id ei incumbendum, vt quantum potest, ab hoc faciat divortium, totumque se ad animum conuertat? Mihi quidem sane. Et an non ex ijs omnibus videtur tibi planum esse, eum qui revera sit philosophus, longe prae alijs a consortio corporis, seiuncturum esse animam? Videtur plane. Et videmus tamen, multos esse e turba, o Simmia, qui arbitrantur, eum qui aut voluptatem ex his talibus non percipit, aut plane eorum non sit particeps, indignum esse vita, aut non ita longe a morte abesse. siquidem, cum corpore sit praeditus, nullam sentiat ex eo voluptatem. Ita plane se res habet. Iam in comparanda sapientia, vtrumne credis corporis societatem, si quis eam putet adhibendam, fore impedimento, an contra? Id quod volo hoc est; Putasne visum & audi-



tum, certi aliquid habere, aut assensum ijs homines praebere posse? an poëtas esse qui in vulgus temere sparserunt; nihil, vel videri certo vel audiri? Et tamen, satis equidem constare arbitror, si hi duo sensus nihil certi habeant aut cui possit credi, multo minus caeteris id conuenire. cum praesertim caeteri his longe sint inferiores. Et, *num* recte sentire tibi videor? Omnino, inquit ille. Quando igitur dicemus, animam, jam veritatem assequi? siquidem iam ante diximus, & sane manifestum est, eam, vbi corpus in societatem contemplationis huius adhibet, ab eo dici. Ita se res habet. Nonne arbitraris ergo, eam, si quo modo, ratio cinando, veritatem rerum, esse assecuturam? plane, ita est. Nonne & illud credis, tum eam ratiocinari optime, cum neque ab auditu perturbatur neque a visu, & dolore pariter ac voluptate caret?

ποις, ἢ τάγε τοιαῦτα καὶ οἱ ποιηταὶ αἰεὶ ἡμῖν θρυλλοῦσιν, ὅτι οὐτ' ἀκούομεν ἀκριβῆς οὐδέν, οὔτε ὀρώμεν; καὶ τοι εἰ αὐταὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα αἰσθήσεων μὴ ἀκριβεῖς εἰσὶ μηδὲ σαφεῖς, χολῆ γε αἰ ἄλλαι. πᾶσαι γὰρ πού τούτων φαυλότεραί εἰσιν· ἢ σοὶ οὐ δοκοῦσι; Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη. Πότε οὖν, ἦδ' ὅς, ἡ ψυχὴ τῆς ἀληθείας ἄπτεται; ὅταν μὲν γὰρ μετὰ τοῦ σώματος ἐπιχειρῆ τι σκοπεῖν, δῆλον ὅτι τότε ἐξαπατᾶται ὑπ' αὐτοῦ. Αληθῆ λέγεις. Ἀρ' οὖν οὐκ ἐν τῷ λογίζεσθαι, εἰπέρπου ἄλλοθι, κατάδηλον αὐτῇ γίνεταί τι τῶν ὄντων; Ναί. Λογίζεται δὲ γέ που τότε κάλλιστα, ὅταν αἰτῆν τούτων μηδὲν παραλυτῆ μήτε ἀκοή, μήτε ὄψις, μήτε ἄλγηδών, μήτέ τις ἡδονή.

